This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6

600075393X

1001
P.R.S.

GENUS, INCUNABULA ET VIRTUS

JOANNIS CORVINI DE HUNYAD,

REGNI HUNGARIAE

GUBERNATORIS,

ARGUMENTIS CRITICIS ILLUSTRATA.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

GEORGIUS FEJÉR,

BIBLIOTHECARIUS REGIUS.

BUDAE

TYPIS TYPOGR. REGIAE VNIVERSITATIS VNGARICAE

1844.

246. e. 187.

Nihil falsi dicere, nihil veri dissimulare, et sine suspicione vel gratiae vel simultatis scribere.

II. Cicero de Oratore.

Fautoribus

Codicis Diplomatici Hungariae

Viris Clarissimis, Optimis.

Spectabili Domino Nicolao Jankovich de Wadas et Jeszénicze, compl. II. Cot. Tab. Jud. Ass.

Sp. D. Georgio Gyurikovics, ad tribunal cambio-mercantile Poson. Assessori.

Sp. D. Josepho Podhráczky, Rationum ad exc. Cameram Officiali.

Sp. D. Gabrieli Nagy, Advocato Curiali.

† Excell. Ill. ac RR. D. Ignatio L. B. Szepesy, Episcopo Quinqueecclesiensi.

† RR. D. Georgio Palkovics, Praeposito et Canonico Strigonien.

RR. D. Ferdinando Villax, Cistercien. Abbati.

A. R. Dom. Christophoro Beke, art. Paedag. Magistro.

Excellentissimo Ill. Domino Aloysio L. B. Mednyánszky, Thesaurario regio.

† Ill. Dom. Josepho Comiti Forgách de Széchén et Gách.

Excell. Dom. Francisco Ürményi, S. Coronae regni Hungariae Custodi.

Ill. D. Carolo Comiti Zay de Zay-Ugrócz, Camerario C. R.

Ill. D. Carolo L. B. Geringer, Secretario Aul.

Magnifico Dom. Francisco Chergheö, Assessori Primario Distr. Ginsii.

Sp. D. Raphaeli Ghéczi, V. Comiti I. Comitatus Comaromiensis.

Sp. D. Joanni Cseh, Commis. literariae ad Exc. Cons. L. R. commembro.

Sp. D. Gabrieli Döbrentei, Commissario centrali Budae.

Sp. D. Petro Benyovszky, Advocato Curiali.

A. R. D. Ludovico Starek, Orphanotrophii Solnensis Directori.

Sp. D. Augustino Szalay, Concipistae ad Exc. Cancell. Aulicam.

Sp. D. Carolo Rácz, Officiali Consilii.

Sp. D. Ladislao Gorove, Advocato,

Documenta originalia liberaliter suppeditantibus

D. D. D.

Auctor.

Ad Lectorem.

Lapsis regni Hungariae rebus erigendis aut sustentandis, propitia Numinis benignitas, Johannem Corvinum de Hunyad, genium quasi tutelarem, concesserat. Facinora ipsius praeclara stupuit Europa, novit orbis; natales seu aetatis, in quam incidit, vitio seu scriptorum oscitantia, ignorat aut insectatur.

Virtutem, quam odisse praesentem invidi, desiderare ablatam solemus, in ipso domi forisque, malignitate quorumdam, praecipiti aliorum iudicio, post obitum etiam insimulatam, insimularique cernimus. —

Exterorum, domesticorumve plurium mentes, eumdem Sigismundi Romanorum ac Hungariae regis filium fuisse nothum, occupavit sententia; alii illustri Corvinae Romanorum stirpi inserunt, alii alteri [1]).

---

[1]) Nothum dicunt Exteri: Michael Neander in synopsi Chron. f. 157. Jacob Weingartner in speculo Principum par. I. Stansky in vita Hussii. Christianus Manlius L. VI. f. 133. Joannes Harbustus in Chronico seu Hist. Poloniae L. XV. Joachim Curius in annal. Siles. in Alberto Imp.

Labem a Joannis de Hunyad natalibus M. Joh. Bayerus, erudita de ipsius ortu ac nativitate Dissertatione, Jenae, anno MDCCVIII. edita, detergere, pro virili satagebat; ast incassum; si Encyclopedistis deferendum, Eruditi Germaniae vulgari pertinaciter inhaerent opinioni [1]).

Erasmus Francisci in theatro honoris etc. Domestici: Casparus Heltaius in Chron. Hung. fol. 80. Franc. Palma, Johannes Fessler, Christ. Engel etc. in suis Historiis. — Bonfinius eum e nobilissima Corvinorum, gentis romanae stirpe, et Daniel Cornides ex illustri gente polonica Korwin nuncupata etc. deducunt. Matrem eidem dedit Bonfinius graecam; Joan. Ludw. König in arboreto fol. 45. Rittershusius fol. 389. Hening f. 89. Elisabetham Palaeologam etc.

[1]) National-Encyclopedie, Fortsetzung VI. Band von Pierer etc. p. 490: „Hunyad Johann war geboren 1392. Nach bewährten Quellen (?) Sohn des Kaisers Sigmund, von einer walachischen Bojarin, Namens Elisabeth Morffinay (Morsinay). Noch ehe diese entbunden war, heirathete sie einen walachischen Bojaren Woyk Buthi, der lange Zeit für den Vater des Kleinen gehalten ward, aber bald darauf starb. Wenige Jahre darnach reiste die Mutter mit ihrem Knaben und einem ihrer Brüder nach Ofen. Der Knabe bewies daselbst mittelst eines Ringes, welchen seine Mutter von dem Kaiser erhalten hatte, diesem seine Herkunft. Nun erhielt er die Stadt Hunyad mit 60 Dörfern. In der Folge erhob König Sigmund seinen durch Tapferkeit ausgezeichneten, unehelichen Sohn zum Ban von Severin (?) oder der westlichen Walachey, und Hunyadi fand nun Gelegenheit, seinen kriegerischen Ruf in grossen Thaten gegen die Türken zu begründen."

Duum viri nostrates, Georgius Pray ac Stephanus Katona, messis in agro historico laureis inclyti, hoc unum, patrem illius fuisse Valachum, evicere; alii litem ingressi, quaestionem ambiguam aut in medio reliquerant [1]).

In virtute ipsius inquinata a tyrannidis affectatae, usurpataeque convitiis, calumniisve vindicanda, actum poene nihil; praeter animadversiones nonnullas, rebus eius apposite ingestas; causas et auctores redarguit nemo.

Novimus equidem viri boni, ut dicitur, non quaerendam originem; maiorisque fore propriis nitere meritis, quam alienis resplendere atque virtutem nebulas obiectas suamet obterere luce; ast non ignoramus una, inviolabilia veritatis iura, reverentiam virtuti debitam, domesticis incumbere tuendam praeprimis. —

Arduum omnino molimur laborem: inveterato enim errori diem dicere, gentile praeiudicium in causam vocare; convitiorum latebras discutere; non molestum modo, sed ingratum quoque. — Studium hoc cassum maxime est.

---

[1]) Georgius Pray Ann. Parte III. p. 185. sq. Stephanus Katona Hist. Crit. Tom. XIV. p. 5. sq. — Georgius Aranka. Franciscus Kazinczy, Joannes Kriebel, a Josepho Thörök editi et illustrati, Posonii Anno 1825.

Ne rebus desimus patriis, tentabimus nihilominus: quid de Joannis Hunyadii natalibus vero propius, proximumque; quid virtuti eius deferendum; quid utrique aetatis credulitate, aemulorum invidia appictum, affictumque sit, subsidiis critices exploraturi. —

Pestini, 9. October 1843.

AUCTOR.

In praesenti, quod inimus, tentamine ita versabimur, ut imprimis Scriptorum coaevorum aut supparium testimonia, quae Joannis Hunyadii genus et incunabula respiciunt, in censum cogamus; oraculis Diplomatum [1]) illustremus, atque rationum momenta, in partem utramque comparemus; tum virtutem luculentis adumbremus lineamentis, errorum denique, conviciorum, atque calumniarum, quae ipsum manserant, occasionem, causas et auctores investigemus. Iis, quae ad praesentem non faciunt quaestionem, levi, ut dicunt, digito, attactis, aut prorsus praeteritis. —

I. Testimonia Scriptorum genus et incunabula Joannis de Hunyad concernentia.

1.) Agmen ducat Mr. Joannes Thuroczius, qui Chronicon suum finiit cum auspiciis regis Mathiae Corvini, Cap. XXVIII. Parte IV. ait: „Defuncto rege Alberto regina Elisabeth, praegnanti utero ab illo relicta, de se, deque regno cogitans, ut viduarum

---

[1]) Diplomata, quae licuit, in toto contextu censuimus fide dignitatis ergo adducenda. Illa ubertate sua Historicorum nostratium sterilitatem, maximo cum veritatis emolumento, supplent. Ad quaestionem haud pertinentia, aliis relinquimus producenda.

moris est, moestos ducebat dies. Abundabat tunc in regno magnatum copia humanitate praeclara, virtuteque tum consilii, tum militiae praefulgida. Ad hos regina, de futuro rege sollicitos, ita verba fecit: Domini et Fratres! de rebus regni, vobis non minus quam mihi, cogitare incumbit. Ipsa sum, ut nostis, haeres regni, non ergo ad dirigendas regni habenas meam sufficere arbitror virtutem. Si ad prolem ex me nascendam expectatis, foeminea in quantum experiri valet natura, filiam magis quam filium me parturire, arbitror. Quaerite igitur vobis principem, qui ad portandas tanti regni curas foemina magis idonea sit, nec minus mei genitoris beneficia prae corde praeque oculis ferentes, me in regno illius, e quo genita sum, expertem ne faciatis. — Haec Reginae oratio ingentem, multos per annos, in Hungaria ardentem facem peperit. Nam Magnates ipsi ex his reginae verbis — de novo rege introducendo unanimi voto contulerunt. Erat tunc in regno Poloniae princeps quidam iuvenis, nomine Vladislaus, frater Kazimerii. Huius morum peroptime virtutes dum in Hungaria commendantur, placuit ille coetui magnatum universo. Conventum est igitur de illo, ut introduceretur et regnaret. Quapropter viri in regno potentes, famaque honesti, Episcopus Tinniniensis, ac Matko, Dalmatiae, Croatiae ac totius Sclavoniae Banus, Emericus, filius Vaivodae de Marczali, et Ladislaus de Palócz, pro deferendo ad illum communitatis voto, proque illo introducendo, electi pariter et destinati fuere. — Voluebatur MCCCCXL. dominicae incarnationis annus, quum illi, per nuncios, reginam filium peperisse nunciantes, ne erga Vladislaum suscepta uterentur legatione, prohibiti sunt. Illi autem absque executione commissi ipsis

negotii reverti haud audebant. Postquam suo usi sunt officio, mox iuvenis princeps nec differt, quin statim paratis viae necessitatibus, adunataque sibi polonicalis militiae decenti comitiva, venit in Hungariam, cui primores regni Hungariae, quorum de novo principe gaudere cordi erat, regnicolarum cum agminibus obviam venere. Eisdem diebus Laurentius de Hederwara, Palatinus, antiqua regni de consuetudine, Budense castrum conservabat, qui venienti novo principi non minus obviam ivit. — Non ergo regina Elisabeth ea, quae suam ad partem pertinebant, dirigere negligebat. Multi enim magnatum, quorum in pectoribus imperatoris Sigismundi nondum tepuerant beneficiorum recordia, reginam sequebantur et res novi regis displicebant illis omnino. Qua propter regina sua Baronum cum parte Albamregalem petiit, filiolumque suum, nomine Ladislaum, qui nondum quatuor suae aetatis menses compleverat, multis tonantem vagitibus, in regem fecit inungi, pariter et coronari. — Interfuit huius infantuli intemporaneae coronationi vir praeclarus, Dominus Dionysius de Zeech, Cardinalis et Archi-Episcopus Strigoniensis, qui et puerulum ipsum suae dignitatis officio exigente inunxit, ac illi sacrum diadema imposuit. Erant etiam ibidem Mathias Vesprimiensis et Benedictus Jauriensis Ecclesiarum Episcopi, Vlricus Comes Ciliae — nec non et Nicolaus de Ujlak et Ladislaus de Gara, Bani Machovienses, Andreas Bothos de eadem Gara, Ladislaus et Henricus, filii quondam Joannis Vaivodae de Thamásy, et Thomas de Zéch, aliis cum pluribus regni nobilibus, qui tanti spectaculi pro videnda gloria, proque observanda reginae et infantulo regi fidelitate affuere. Postquam igitur talis coronationis peracta

est solennitas, regina Elisabeth autem ad Wissegradum, claves et conservatio cuius tunc dicto Ladislao de Gara Bano credita erant, pro reponenda suo loco regali corona, iter suum direxit. — Ad hanc arcem, postquam regina intravit, in repositione ipsius coronae, Barones sibi circumstantes fefellit. — Divertit tandem regina abhinc, simul cum filio et corona ad Fridericum Romanorum Regem et Styriae Ducem; frater enim puero erat et utrumque, tum filium pro educatione, tum coronam pro conservatione illi dedit. His habitis, regina Elisabeth, a rege Romanorum rediens, suorum sanctorum sub custodia per civitates et castra, quae ad illam recto erant corde, ferebatur. — Contulerat regina, Alberti regis post mortem, castrum Zoliense, et caeteras illi annexas munitiones cuidam Johanni Iskrae (Giskrae) denominato de Brandes, homini Bohemo, et arma flectere docto, rapinaeque avido, et illum cunctis montanis civitatibus, Cassoviae scilicet, et caeteris, nondum a reginae et filii eius fidelitate discrepantibus; in tutorem praefecerat. Iste Johannes Iskra, cum Barones in se ipsos alternatim saevire vidit, mox praedabundus omnem terram Mathiae, et provincias Comitatusve, Casoviensi civitati vicinos et poene totam partem regni Hungariae superiorem invasit. — Favebant ea propter regi Vladislao magnates multi et res illius praeferre conabantur. Inter quos Simon de Rozgon, Episcopus Agriensis, primum omnium simul suis cum fratribus et poene omnibus partis superioris Hungariae Baronibus, Nobilibusque pro novi regis partibus laborabant. Et cum Nicolaus de Ujlak, Banus, Vladislai regis faventium agmina crescere et reginalem partem parvipendi vidit, infantemque regem aut prodesse, aut

obesse ad tunc non posse cogitavit, a regina defecit et novo regi adhaerens, extollendam eiusdem in partem, caeteris acrior fuit. „Erat tunc in regno miles magnanimus, nobili et claro transalpinae gentis de gremio natus, Johannes de Hunyad, homo bellicosus, et ad flectendum arma, dirigendasque res bellicas natus; et sicut piscibus aqua, cervisque umbrosas lustrare silvas, sic illi armorum, bellique expeditio vita erat. Hunc hominem, ut dici praesumitur, futura pro regni tutela, rebus per ipsum gestis testantibus, fata ab alto elegerant, peregrinisque de partibus regni Hungariae deduxerant intra oras. Fertur enim, quod rex Sigismundus virtutis nomine genitoris militis huius pulsatus, illum partibus de transalpinis suum traduxisset in dominium, suique regni illum incolam effecisset, et nihilominus digna, perpetuaque eundem munitionis Hunyad possessione, ubi nunc castrum nobile, aspectuque delectabile erectum est, dotasset.“ Praefatus igitur Johannes de Hunyad semper sui superioris lateri adhaerendo, cum iam de virtute in virtutem crevisset, a minoribusque regni officiolatibus, quorum usque ad tunc fretus fuisset honore, successivo incremento in tantum claruisset, quod ad Vaivodatum partium regni transilvanarum suum extulisset titulum; vir in regno non parum potens, et ipse regi Vladislao adhaesit.“ Cap. XXVIII—XXX.

2.) Dlugossus, alias Longinus, Cracovien. Can., ad Joan. de Hunyad ablegatus, Hist. Pol. Lib. XII. col. 756. ad an. 1440. ait: „Quia (Wladislaus) Joannem de Hunyad videbat militem animosum et virum in armis magni pretii, non attenta conditione sua, quae tum erat humilis et exigua, sola virtute ipsius delectatus, ipsum contra Turcas, Capitaneum ordinat,

et castra omnia, Turcorum terris vicina, sibi dat in tenutam. Nec regem iudicium suum fefellit. Ipse enim Johannes de Hunyad bello contra Turcos administrando suscepto, saepe cum illis particularibus praeliis congressus, multas ex illis praeclaras victorias retulit, et superbas eorum acies, licet cum suorum aliquo discrimine, saepe confregit ita, ut in brevi tempore fama magna quaesita, carus Regi, carus Baronibus Hungariae, apud paganos et hostes celebris haberetur." Tum ad annum 1449. Lib. XIII. col. 51.: „Circa festum assumptionis B. M. V. Hungariae Gubernator, Joannes de Hunyad, congregato exercitu versus Cassoviam, contra Bohemos et civitates sibi rebelles illum misit, praeposito ei in Capitaneum Sororino Czaklone (Cholnokio?) Hic in villa Sumusch prope Cassoviam castra ponens, aliquanto tempore illic persistit sine fructu, donec Johannes Giskra ex Bohemis et Polonis ducens collectum exercitum advenit, et feria sexta ante festum nativitatis B. M. V. congressu campestri facto illum contrivit. Pauci quidem ex Hungaris mortui erant, et inter eos Capitaneus exercitus Czakiel, sed multi capti." — Item: „In Hungariae regno bellum ex integro inter Joannem de Hunyad, Gubernatorem, ac Joannem Giskra de Brandis resumtum est; nuptiaeque, quibus Gubernator sororem germanam viduam tradere Giskrae firmaverat, in suspicionem venerant vehementer, quasi in illis Gubernator Giskram et omnes suos esset occisurus etc. Lib. XIII. col. 81.

3.) Aeneas Sylvius: Piccolominus, orator pontificius in causa Ladislai Posthumi, postea Pius PP. II. in Historia Bohemiae Lib. XXVIII. p. m. 232: „Hungaris, inquit, bello Turcico occupatis, ac saepius in illo, ductore Huniade, victoribus quam

victis. Dacus hic (nunc Valachos appellant) natione fuit, haud claro genere ortus, sed factis per arma clarissimus; ut qui primum Hungaros docuerit, quomodo Turcae acie frangi, superarique debeant. Eius opera factum, ut bonam partem Mysiae, quam Rasciam vocant, ab Amurathe (Turcorum Sultano) interceptam recuperaverint." Tum Hist. Frid. ad an. 1452: „Erat hoc tempore regni Gubernator Johannes de Hunyad, Vaivoda Transilvanus, haud magno genere natus, sed animo grandi et consilio provido, qui post Alberti regis obitum unus iudicatus est, qui regnum Hungariae a Turcorum invasionibus liberaret. Saepius cum eis manus conseruit, saepe copias eorum fudit, multas intulit eis strages, militaria signa quam plurima ex eis domum retulit. Bis tamen ab illis, non sine maxima Christianorum calamitate, superatus est." Item L. XXXI. pag. 240. „Nec ultra Belgradi moratus (Rex Ladislaus Posthumus) Budam revertebatur, comitantibus eum, Ladislao et Mathia fratribus usque arcem Hunniadam (Temesvarinum), in qua mater eorum, vidua, moerore anxia delitescebat. Mira rursus animi indoles in tam tenera regis aetate emicuit, postquam arcem ingressus, omnia ibi luctu plena, ipsamque viduam lachrymabundam ac veste lugubri indutam vidit; quamquam ipse satis moestus, revocare tamen illam a moerore ad laetitiam incipit; eam, inquit, mortem esse dolendam ac deflendam, quae vitam penitus auferat, non vero illam, quae nos ad meliorem vitam transferat. Maritus, inquit, tuus utique etiam num vivit, et cum Christo procul dubio regnat, qui pro Christo tot se periculis obiecit, maxima interim solatia tibi relinquens, Ladislaum istum et Mathiam filios, quibus quoties volueris refici poteris, antevertant

igitur luctibus gaudia, quibus maritus fruitur, ut simul cum ipso gaudere videamur, ac protinus funebris iste habitus deponatur."

4.) Joannes Capistranus, expeditionis cruciatae conductor, epistola ad Callistum III. PP.: „Etsi vero ait, ita placuerit altissimo, quod de medio sustulerit a nobis illum illustrissimae memoriae pugilem, sanctae fidei catholicae hostibus formidabilem defensorem; Dominum Joannem de Hunyad, ex hac iam vita delapsum XI. mensis huius ex peste; substituit tamen nobis non imparem sibi virum Nicolaum de Huylak, sub cuius dominatu valido et potenti ipse idem Joannes cum quinque vel sex equis suam militiam inchoavit." Apud Wadding. Annal. Tomo XII. p. 273. Item: „Cum adhuc animam ageret Corvinus, Capistranus ingemuit: Invideo, inquit, Corvine morti tuae, qui consummato quoque praestantissimi Ducis officio et fuso, fugatoque hoste, quem terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad Superos evolas, et amplissima utriusque vitae gloria potiris." Ibid. pag. 383. —

5.) Chalcocondylas Laonicus, Scriptor graecus, synchronus: Johannis Hunyadii nomen in Jangum Choniatem detorquens de eodem ait: „Jangus genere natus erat non admodum obscuro. Patria fuit Choniatae Ardelii (Erdélyi) oppidum, unde profectus venit ad Tribalorum (Serviorum) Ducem; mercede autem conductus, longo admodum tempore apud hunc Ducem versatus est; ubique, quocunque mitteretur, fortitudinem et diligentiam memorabilem ostendens." Apud Stritter Tomo III. p. 719. Item: „Postero die (anno 1448 in campo Cossovo) confestim accingebatur ad praelium. — Choniates suos in

experiendis, quum domi iam forsan affuturus esset, qui avi sui aequabilitate gubernaret. Valuissetque publicus favor et gratissima omnibus Sigismundi memoria, si Joannes Huniadianus ante omnes prioris, suaeque aetatis magnos viros, rerum militarium civiliumque artium peritia memorabilis, urgentium periculorum non admonuisset; propter Sindoroviam oppidum cum universa poene Rascia, iam tum a Turcis occupatum, sublatumque veluti murum, quo illis obiecto, Hungaria satis tuta videbatur. Ea vox, quasi froenum a mortui gratificatione curam omnium in praesentes necessitates convertit. Coepit ipsorum animis obversari regni orbitas, et Turcorum in dies maiores vires, iterque ad se plane illis patefactum. Praeterea in partu reginae, etiam si votis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum momenti fore constabat ad regni curam et tutelam; quum interim virorum animi muliebre regimen aspernarentur propter imbecillitatem, plerumque illi insitam sexui, et si curatores posthumo assignarentur, intelligebant, regium fastum, regiasque cupiditates, in paulo ante paribus conditione vel perferre, vel explere, durissimum fore. Sed et regina, non mediocriter animo sollicita, haud satis constituebat secum, quid nam maxime in deliberatione tam ancipiti esset expetendum, quum aut filio, si nasceretur, regnum abrogandum, aut Turcis prodendum appareret. Sed neque exploratum habebat, marem nasciturum. — Et quum iam rursus Vladislaus assederat, cum caeteris haud sane civiliter neque in consultantium morem, studia sua efferentibus, silentium fecit exaudita vox Hunyadiani. Ille peregrini regis evocationem contra imminentia discrimina, velut in necessitatem reiiciens, ne prius, quam posthu-

mus adolesceret aut externo bello, aut domesticis seditionibus regnum succumberet, quidquid in eo eligendo actum, dictumve esset, consilia tempori accommodando, deliberate factum: si quid contra ab aliquo tentatum, aut humano errori aut supervacuae fidei erga regiam stirpem, adscribendum potius asseveravit. — Eos etiam, licet sane multos, errore iudicandi aut officio erga reginam in diversum abstractos, plurimorum consensum revocaturum. — Longe maxima, difficilioraque transacta: Teneri iam Budam, sedem regiam, tum Comitem Ciliae, cuius unius spe, maxime regina elata ad tumultuandum foret, felicitate publica, in potestatem datum. Reliqua sane, sine caede et sanguine in ditionem ventura, non futuros, qui iam vim potius, quam clementiam regis vellent experiri. — Denique ad laudes munera, quibus Hunyadianum, Nicolaumque affecit, dignitatem etiam adiecit: declarato utroque Transilvaniae Duce. Caeterum quia in Hunyadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potissimum oppida, quae Turcis obiecta erant, illi commisit, et copiarum, quantum res tunc sinebant, assignavit, ut non solum sua defendere, sed et per occasionem etiam fines hostium transcendere, atque operae pretium facere posset; quod postea saepissime fecit. Et Turcis quidem magnum de se terrorem incussit, apud suos vero ingentem spem excitavit." Lib. I. et II.

7.) Ducas Scriptor itidem graecus: „Hocce tempore Hungariae rex infans adhuc erat, nec qui rem bellicam administraret, vicarium habebat. Quapropter cognita Turcarum audacia, quemdam ex nobilibus praefectum generalem exercitibus regina constituit, virum equidem audacem, animosum, alterumque in re bellica Achillem et Hectorem p. 115.

Apud Stritter l. c. p. 708. Tum: Mahometes II. cum Christianis universis ficta pace inita, induciisque in tres annos cum Jango (Johanne Hunyadio) Hungariam regente, in Caramanum bellum movit." Ibid. pag. 799. —

8.) Anton. Bonfinius Asculanus, in rerum Hungaricarum Historia, Wladislao II. R. Hung. dicata: „Joannes, ait, Hunniades, quo praestantiorem domi, militiaeque virum illa tempora non viderunt — Polono (Vladislao I.) nimium favisse perhibetur. Hic enim valacho patre, matre vero graeca natus, industria et virtute, supra omnium opinionem, suum genus illustravit; parentibus nequaquam obscuris editum tradidere. Pater namque inter Valachos, qui Getarum, Dacorumque loca nunc incolunt, et a Romanis superfuisse colonis, veluti linguae similitudo testatur, sane creduntur, plurimum apud eam gentem potuisse dicitur. Quippe qui non consilio solum, ac longa rerum experientia, sed et opibus et fortuna multum sibi auctoritatis comparat, assiduo bello exercitatus, non plus divitiarum, quam nominis e militaribus studiis ipse contraxerat. In Corvino (Hollós) vico natus, in Corvinam Romanorum familiam genus retulit. Mater vero e Graecis edita, e veteri et imperatorio sanguine promanasse, credita est. Nonnulli in Theodosii huius genus referre audent. Servivit a principio cum duodecim equis Demetrio Episcopo Zagrabiensi, et in Italia duos annos sub Duce Mediolanensi prima stipendia meruit, nam Sigismundum in Italiam secutus remansit. Sigismundum enim affirmant fama paterni nominis, Johannem adhuc ephebum ex Transalpinis oris in Transilvaniam transtulisse. Hunniadicis praediis, quae in extrema Transilvaniae ora, quae ad

Valachiam attinet, sita sunt, ob rem bene gestam donasse. Prima hunc (Joannem filium) stipendia sub ungaro Halae (alae) praefecto fecisse memorant. Nosque a divo Mathia nonnunquam audivimus, cum Praefecti eiusdem filium in conspectum admitteret, quod de patre conversus ad alios ingenue fatebatur. Hic est, inquit, illius optimatis gnatus, sub quo pater meus primum meruit, vocemque centurionis expavit" mox propria virtute, fortunaeque dexteritate fretus, munia quaequae militiae honorificentissime gessit, ex bono tyrone miles fortissimus, ex milite imperator optimus emersit. Per singulos ordines miro laudis, gloriaeque successu, iam evectus, provincias cum imperio sortiri coepit. Cum praestantissima Graecorum domo affinitatem inivit. Hinc Elisabetham, quae Ladislaum Mathiamque genuit, uxorem ducit." Dec. III. lib. IV. — Item: „Mathiae regi, quemadmodum supradictum est, Joannes Corvinus pater fuit. Budi Valachi filius, in paterno pago natus, quem nostra etiam aetate Corvinum (Hollós) dicunt, imperante Sigismundo, a quo virtus eius et animi magnitudo primo coepit intelligi, mater vero Élisabetha Szilagia virago semper habita. Is veluti saepius a parentibus acceperat, cum adolevisset, se romana gente satum affirmabat, referebat genus in Corvinos, qui inter priscas Romanorum familias numerantur. Generoso sanguine succensus, et Transilvaniae finitimus, in provinciam venit, a principio in Chyakorum familiaritatem se insinuavit, adaucto mox animo ingressus Hungariam Francisco Chanadino servire coepit, cui usque adeo charus fuit, ut pro filio haberetur. Sub hoc fausta tyrocinii auspicia sortitus est, cliens deinde Demetrii Zagrabiensis Episcopi factus, cum ignavi expers

ocii foret, et Sigismundum imperatorem, quem in Italiam profecturum audiverat, continuo secutus est, militaris disciplinae gratia prima sub Philippo Mediolanensium Duce stipendia fecit. Reversus in Ungariam, Turcorum bello se exercuit, ubi antequam aliquod equestre munus assequeretur, dum cum sociis Mysiam incurrit multum lucri fecit. — Cum Sigismundum Germaniam revisurum audiret, repente secutus est, ut regiam frequentaret, et Corvinam virtutem, iam maturam, in lucem ederet. — Post Sigismundi obitum praefecturas provinciarum cum imperio ac supremam nactus in gubernando regno potestatem, tanta modestia et tam grato fuisse animo dicitur, ut Francisco de Cenadino, neque in via, neque in mensa praeiverit unquam stando et sedendo, praeter dignitatem veneraretur, et illius uxorem pientissimae loco parentis semper habuerit.", Dec. III. lib. IX.

9.) Petrus Ranzanus, Episcopus Lucerinus, in aula Mathiae Corvini Orator: „Post Vlasdislai in Hungariam adventum, subsecuta sunt Procerum magna inter se dissidia, intestinaque bella moveri et parari per universam Hungariam maximo ardore coepere. Nec dubitari potest, quin tam periculosa bella, sine variis et miserabilibus stragibus, caedibusque et cladibus, atque multiphariis praedis et direptionibus, agrorumque vastationibus gesta sint. Tot autem, tantisque et aliis permultis malis afflicta est Hungaria: infestabat Hungariam alia ex parte Amurathes, Turcorum Tyrannus, eiusmodi discordiarum nactus occasionem, Hungariam ipsam invadere cogitabat. Jam enim paulo post Alberti mortem, cum ingentibus exercitibus suos coeperat egredi fines, ut sibi quascunque posset regiones, gentesque subiiceret chri-

stianas. Jam subacta inferiori Mysia penetraverat in superiorem, cuius portio quaedam Rascia, quam vocitant Serviam. Eam omnem brevi et absque magno suorum discrimine, in suam ille redegit potestatem. Mox egredi parabat in Hungariam, qua ei regione est conterminа ipsa superior Mysia. Et nisi ingentibus ipsius copiis obviam itum esset operia et armis Joannis Corvini, actum iam prorsus fuisset de re Hungarorum, deque universis Hungariae propinquis, conterminisque regionibus, imprimis de nostra Italia. — Ab Hungaris igitur et cunctis eius finitimis nationibus christianis immortales sunt agendae Joanni Corvino gratiae, qui Hungariam a futura, audacissimaque illa Turcorum irruptione, et invasioneque servavit." Ind. XXII.

10,) Ludovicus Tubero, Abbas, Dalmata, initio regiminis Ludovici II.: „Post mortem Alberti, qui Sigismundo Augusto gener adscitus, in regnum Hungarorum successit, Hungari infantulo eius, Ladislao Posthumo, Vladislaum, Jagellonis filium, Polonorum regem, haud satis honeste, si ius gentium respicias, superinduxere. — Mater vero pueri, in dignitate rei permota, diademate sublato, quod Hungarorum regibus, cum creantur, imponi solet, ad Fridericum caesarem sese confert, diademaque una cum filio imperatoris fidei committit. Non ita multis post annis, Vladislao in expeditione adversus Turcos suscepta, interfecto, Alberti filius, regno sibi iure debito potitur, qui, cum dolo suorum Pragae adolescens periisset, ad Mathiam privatum, Joannis Hunyadii filium, qui sibi Corvini nomen impositum opera Michaelis Szilagii, regnum ab Hungaris defertur, quippe is erat Mathiae Avunculus, eademque omnium rerum summa respiciebat. Hic sub

tem rex, quum paterno genere Geta esset, quam gentem ab eorum aspériore cultu, commodiore ad componendo verba, graeca voce Moroulacus, nostrates nuncupant, sese Corvinum, si dictum est, appellavit, seu quia pater ejus Janus Huniades, vir bello clarissimus, dum exercitum duxit, vexillo usus est, in quo corvus, annulum aureum rostro portans, depictus erat; seu fonsan non ulto regum vitio, assentatoribus facile crediderit, ab Romanorum civium veteribus colonis, qui geticum agrum nunc quoque magna parte incolunt, progenitus esse." Comm. de temp. suis §. 2.

11.) Gerardus de Roo, ineunte saeculo XVI. Bibliothecae Augustae Vindobon. Praefectus: „Circa haec tempora Joannes Huniades Corvinus, Transilvaniae regionis regulus, rem bellicam contra Annualiem, Turcarum Tyrannum, ea cum summa fortitudine administrabat, ut solus fere ex christianis ferocissimae genti terrorem incuteret, multaque Turcarum millia, paucis admodum copiis destructis, fuderit. — Regni Hungarici Prorex et Gubernator salutatus. — Item: Erat Poneratius quidam, — qui Scalizio, in Hungariae finibus, oppido occupato, multis incommodis vicinos diu affecerat, nec ullis pactionibus, ut ab iniuriis supersederet, induci poterat. In hunc profectus Vdalricus Ciliensis, oppidum validis tormentis quatit. Moram obsidioni facit, pulverisque defectus: quo subrecto, rebus suis diffidens Poneratius, Proregis Corvini fidei ac tutelae se committit, qui datis ad Ciliensem literis, promittit, nihil in posterum damni Austriacis ex eo loco illatum iri: oppidum ipse praesidio munit." „A Ciliensi Comite, ceu novus homo despectus, responsum fertur: Non mei arcum, sed summum ipsa per-

sonam conferendam esse: cuius virtute et armis feliciter in Turcam praeliis hoc esset consecutus, ut suae familiae locum ab ipso initium caperet, cum in illo (Virico Cilicensi) maiorum gloria finiretur." Historia Austriaca. V. p. 188. seqq.

12.) Nicolaus Olahus, Metropolita Strigoniens. sub Ferdinando I. „Transalpina; alias Valachia, quae olim a Flacco, qui coloniam Romanorum eo deduxerat, Flaccia vocata fuisse dicitur, ab alpibus, quibus a Transilvania disiuncta est, incipiens, ad Euxinum fere pelagus extenditur. — Huius Princeps Vaivoda appellatur; nostra hac aetate est Hadwl, qui sedem habet in civitate Targawistia. — Subditus est regi Hungariae, cui per legatos praestat iuramentum fidelitatis servandae. In hac provincia a maiorum nostrorum temporibus ad nostram aetatem duae fuerant familiae, initio ex eadem domo ortae, altera Dani, a Dano Vaivoda; altera a Dragula Dragulani. — Ex his legitimi Vaivodae creantur, nunc regis nostri, nunc Turcarum caesaris viribus. Joannis Hunyadis, Vaivodae Transilvani, postea vero Gubernatoris Hungariae tempestate, Dragula Vaivoda partim interfectis, partim expulsis his, qui Dani erant sanguine, regnum occupaverat. Manzillae ab Argyes ex uxore Marina, eiusdem Joannis Vaivodae sorore, duo erant inter alios filii, uni nomen fuit Stanzul, qui Danum et Petrum filios suscepit, altera Stoyan, hoc est Stephanus; is me et Matthaeum filios, Vrsulam et Helenam filias, genuit. Potitus igitur rerum Dragula Stanzulum, patruum meum, insidiis interceptum securi percussit. Stephanus vero, puer adhuc, Deo propitio, illius evadens tyrannidem, confugit ad Mathiam regem, qui ut ab ipsomet patre et Joanne Boemnisa, ac Ambrosio Sugkan, Comitibus

in Hungaria, qui cum patre una sub rege militabant, postea audivi, decreverat eum saepe numero ad regnum cum exercitu reducere; sed pater videns rerum mutationes, quae imperii gratia illic fiunt, periculosas esse; maluit in Transilvania matrem meam Barbaram Flunzar ductare uxorem, vitamque agere privatam, quam in tyrannide et imperio, mille periculis subiecto, instar maiorum suorum interfici." Historiae Hung. Cap. II. §§. I—III.

13.) Casparus Heltay Chronici Hungarorum A. 1575. Claudiopoli idiomate patrio editi p. 180. refert: „Hoc loco loqui me oportet de genere Joannis Hunyadi, non secundum scriptum Ant. Bonfinii, sed iuxta veram Historiam, quam ab iis accepimus, quorum genitores Johanni ipsi serviverunt, et pluribus cum eo praeliis interfuerant: nam Italus Bonfinius ortum eius, Mathiae regi placere studens, a Romanis arcessit, natumque eum facit; sed aliter res se habet, prout videlicet in hoc scripto reperies. Anno Christi 1392, quo Sigismundus regni Hungariae fasces tenebat, principatusque Transalpinae et Moldaviae sub Corona Hungarica existerent, mortuo Valachiae Vaivoda, dissidium ingens inter eius filios Dan et Mirtse exortum est. Dan ab Imperatore Ottomanico copias adversus fratream impetravit; Mirceo ex adverso Sigismundus iusto exercitu suppetias tulit, Sigismundus proinde ad partes Transalpinas tendens ad Sargetiam sive Strigium (Strigy) fluvium, in Comitatu Hunyad Transilvaniae, castra locavit; eoque toedio viduitatis captus, dum opulenti Boyeronis (i. e. Valachi Nobilis) filiam elegantissimam per aulicos suos, quibus puellae venustas iam innotuerat, adduci iussisset, puella ad concubitum sollicitata, haec regi fata est: Celsissime Domine! ego

sum nobilis puella, ex genere Morsinai, quae si a te gravida facta fuero, quid mihi, sobolique meae fiat, id tibi primo curandum. — Respondit rex: si gravida a me redieris, crede, curam tui, prolisque me habiturum et pulchrum haeredium donaturum, genusque tuum ad maiorem Nobilitatis dignitatem elevaturum, en fidem manumque — — Post aliquot dies castra rex in Valachiam promovit, ibique victoria de Turcis et Valachis reportata, Mircseum beavit, et tandem in Transilvaniam ad memoratum fluvium redux, puellam Morsinaianam rursus ad se per ministros accersivit; illa gravidam se exponente, et benignitatem regis orante, nihil non obtinuit. — Rex enim habita temporis ratione, dum eam quarto a mense gravidam intellexisset, magnifice donavit, annullumque symboli loco apud eam reliquit, imo schedulam etiam porrexit. Postmodum Budam cum copiis se contulit. Erat vero hoc tempore in Comitatu Hunyadiensi Transalpinus quidam Bojero, nomine Woyk Buthy, qui ob simultates Valachicas huc se patriis ex oris receperat; hic amplitudine dotis et venustate Morsinianae captus, uxorem eam duxit. Interim Buthius a Mircseo Valachiae Transalpinae Vaivoda promissione restitutionis omnium haerediorum, in patriam revocatus, cum coniuge sua Transalpinam salutat, ubi non multo post tempore Morsinaiana (Elisabetham vocatam ferunt) scitum et elegantem puerum felici partu enititur; eumque Jankulum, id est Joannem nominat et diligenter, ut iusserat Sigismundus, educat. Sigismundo rege postea rursus Transalpinam cum exercitu adversus Turcas ingresso, ei Morsinaiana puerulum cum schedula et annulo regio praesentat; quibus visis rex exhilaratus iubet matri, ut suo tempore puerulum Budam,

Hungariae regiam, ferat, ample donandum. Certo tempore, post Sigismundi inde in Hungariam regressum mortuo marito suo, Morsinai in Transilvaniam regressa, dum apud fratres suos vitam duceret, germanum suum Casparem Morsinai rogat, ut secum et Jankula suo fraterculo Budam iret; recusat primo frater, ignarus regalium promissorum sorori suae factorum; at cunctarum rerum seriem edoctus, ad commoda sororis animum inclinavit. Lapsis interea aliquot diebus, Morsinaiana lavandis vestibus occupata, plorantem filium lenitura, annulum symboli loco datum ei porrigit, quem de manibus ludentis pueri corvus advolans eripit, ac in arborem tollit; non sine plangore puerili. Mater viso corvo annullum rostro versante, attonita. Casparem fratrem accurrit et exorat, ut corvum insectaretur, et annulum reciperet, ne pueri spes magna inauspicata avis rapina perderetur; sine enim annulo regem promissis obnoxium adire vix tutum, et utile existimabat. Frater igitur confestim sagittam eiaculatus ob nimiam festinationem corvum minus ferit; at altera statim vice arcum tendens, feliciter configit, annulumque recipit. Postea Morsinaius sororem cum Jankula Budam duxit; quae, die quodam, regi pranso ac in foro urbis moranti, accedens, puerumque cum annulo et schedula porrigens, supplex orat regem, ut promissorum memor sibi, filiolo et genti Morsinaianae benignum se praebeat. Rex rubore parum suffusus, illico Jankulae subscripsit, annulum matri retribuit; eamque, quod puerum Budam tulerit, laudatam bona spe esse iussit. Citra moram proinde Francisco Ban ad se accersito mandat, ut de bono eorum hospitio et cunctis necessariis, probe provideat, nec sinat eos excidere regi, cum consolatione

in Transilvaniam remittere volenti. Franciscus igitur matrem cum filio et fratre Pestum, proximum Budae oppidum, traduxit, et in domo cuiusdam civis collocatos convivio quotidie excepit lautissimo. Ex hoc autem hospitio saepius Rex Budam transferri iubebat Jankulum et seorsum existens cum eo ludebat, pulchrisque annulis torquibus ac multis florenis aureis ornatum reducendum curabat. Peracto uno mense, Franciscus Ban Regem, dum hilarem videret, adloquitur, et puerum eximiae pulchritudinis, ad magna natum praedicens, bene donandum commendat, nec surdis auribus. Rex enim donavit ei oppidum Hunyad cum adiacentibus villis (quas 60 fuisse ferunt) ac praediis, datisque ad Waivodam Transilvaniae litteris, sigillo secreto roboratis, statuendam in dicto dominio iussit; corvum autem annulum aur. rostro gerentem, pro gentilibus insignibus Jankulae et toti prosapiae Morsinaianae adtribuit; matrem insuper pueri magna summa aureorum florenorum et carpento seiugi cohonestavit. Ad haec viatico illis larga manu dato, laetabundos in Transilvaniam remisit. Reduces in patriam, donata haeredia occuparunt, habitavitque pulchra Morsinaiana cum filio suo in Hunyad, unde nomen Hunyadi (quibusdam latine scribentibus Hunniades et Hunyades) Joannes nactus est. Mater eius in propinguo loco oppidi Hunyad mortua est, humataque (si bene meminit autor) in pago Telek; nec Joannes enim Pestini educatus, nec mater ibidem humanis exempta est." Haec fere Heltaius, Transilvanus, Claudiopoli sacra curans, simul et Typographus, gentis Saxonicae.

14.) Petrus de Rewa, Comes Thuroczen. brevi Commen. de corona regni Hungariae, anno 1613. primo typis vulgato: „Produxerat etiam tunc for-

tuna, Hungaris solito faventior, Joannem Hunniadem Corvinum, Transilvaniae Praefectum, qui rem bellicam contra Amurathem, Turcarum Tyrannum, nec quidquam susceptas hostilitates seponentem, ea animi fortitudine et felicitate administrabat, ut solus fere ex Christianis ferocissimae genti terrorem incuteret, primusque ille Hungaros doceret, quomodo Turcae acie frangi, superarique debeant, multaque Turcarum millia parvis admodum copiis instructus funderet. Eiusdem opera factum, ut bonam partem Mysiae, Serviam et Rasciam, ab Amurathe interceptam, Hungari recuperarunt. Corvini au piciis et victoriis, Vladislaus insistens, maiori stipatus exercitu in hostem profectus, qui reliquum Rasciae infestabat, atque Transilvaniam, Belgradumque, sive Albam Graecam, quam Georgius Wucovichius, eo quod clavis Hungariae esset, pro aliis cum Imperat. Sigismundo permutarat, obsederat et summa vi oppugnaverat, magna cum glade affecit. Corvinus praeterea Mezitem Bassam, Ducem exercitus bellicosissimum, cum filio interfecit, et Sciabadinum alterum Bassam trepide fugere coegit, ac tribus hostem insignibus praeliis per id tempus vicit, quod et obsidione Belgradi turpiter discedere coactus erat, adeo ut Amurathes pacem ultro a Vladislao imploraret. — Anno 1443 Vladislaus in Turcam centum millia habentem ducit, dissuadente Huniade. — Habebat Vladislaus ad quindecim millia equitum ex Hungaris et Polonis, peditatum, ex cruce signatis non ita magnum, quem exercitum Dracula quatuor millibus suorum hominum, Duce filio auxerat. His copiis fretus, reiecto prudentis viri consilio ad Varnam, Bulgariae oppidum, aciem instruit, ibi aleam praelii experturus. — Huniades dispositis turmis et ordinibus, parte

exercitus Regi attributa, in Asiae Ducem proficiscitur; cuius exercitum, Hungarorum impetum sustinere non valentem, fundit, fugat et persequitur. — Huniades victor et miles, direptis imperatoris thesauris ad regem rediens, eum diligenter monet, ut eo loci cum suis militibus consisteret, nec eos contra hostem progredi pateretur, ut si conversa fortuna potentiae hostis cedendum foret, exercitum viribus adhuc integrum pro receptaculo haberet; se Europaeas copias, in quibus Imperator esset, dum fortuna benigna est aggressurum. — Pulcherrimo virtutis Huniadanae spectaculo ad invidiam rapti animi eorum, qui cum rege loco peculiari consistebant, ad movendum contra hostem regi auctores erant. — Quibus persuasus Rex adolescens citato agmine contendit ad Januas, ubi Amurathes fossa munitus, stabat paratus ad praelium. Strenue se opponunt, quos ad custodiam corporis Amuranthes habuit. — Contra praetorianorum phalangem fortiter pugnans Vladislaus, collapso ex vulnere equo cccubuit. 11. Novembris 1444. — — — Post Vladislaum caesum, Corvinus in Gubernatorem seu Proregem electus, omni ope adnititur, ut convulsum Reipublicae Statum restauraret. — — — Regem Ladislaum Posthumum et coronam a Friderico caesare incassum repetit, Giscram in partibus Hungariae superioribus castigat. — Caeterum gubernatio Corvini erat prospera, domi quieta, foris victoriis florens — — — cui velut praeclaram coronidem, omnium victoriarum clarissimam, in defensione Albae Graecae imposuit. — Hac victoria (anno 1456. die 6. Augusti) incomparabili Corvinus finem vitae imposuit IV. Idus Septembris An. 1456.“ Vsus est sigillo regni ad forum pertinente, cruce signata“, p. 663 sqq. Inter Script. Patrios Tomo II.

15.) Anonymus: „Anno demum 1456. X. Septembris, Mars Dacius, Joannes Corvinus, non Rex quidem, sed regibus illustrior, ac christianae fortitudinis prodigium, terram coelo Semlini in Hungaria commutavit.“ Apud Petz Anecdot. Tomo III. pag. 783.

II. Diplomata genus et incunabulula ac virtutem Joannis de Hunyad spectantia.

I.

Woyk, aulae reginae miles, servitiorum suorum merito, a Sigismundo rege possessionem regalem Hunyad pro se, fratribus ac filio Joanne impetrat. An. 1409.

— Propria Commissio Domini Regis.

Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc., Marchioque Brandenburgensis et sacri Romani Imperii Vicarius Generalis et regni Bohemiae Gubernator. Memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit, universis. Quod Nos consideratis fidelitatibus et fidelium servitiorum praeclaris meritis Woyk, filii Serbe aulae nostrae militis, per ipsum nostrae Maiestati locis et temporibus opportunis exhibitis et impensis, volentes sibi pro huiusmodi fidelibus obsequiis regali occurrere cum favore, ut deinceps ferventius in nostris servitiis expediendis animetur, dulcedine regali, renumerationis praegustatu, quandam possessionem nostram regalem Hunyadvár vocatam, in Comitatu Albensi partium nostrarum Transilvanarum

habitam, simul cum eiusdem universis utilitatibus ac quibuslibet pertinentiis et fructuositatibus, videlicet terris arabilibus, cultis et incultis, pratis, fenilibus, silvis, nemoribus, aquis, piscinis, aquarumque decursibus et generaliter quibuslibet eiusdem utilitatum integritatibus; sub ipsarum veris metis et antiquis limitibus, quocunque nominis vocabulo vocitatis, ex certa nostra scientia, Praelatorumque et Baronum nostrorum consilio, ac novae nostrae donationis titulo et omni eo iure, quo eadem ad nostram spectant collationem, memorato Woyk militi et per eum Magas et Radul carnalibus, ac Radul patrueli fratribus, nec non Joanni filio suis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis dedimus, donavimus et contulimus, imo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irrevocabiliter tenen. possid. pariter et haben. salvo iure alieno praesentium nostrarum testimonio litterarum, quas dum Nobis in specie fuerint reportatae, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum in Wissegrad, in festo Beati Lucae Evangelistae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nono. L. S. pend.

Originale in archivo camerae reg. Budensis. Copia authentica in archivo Fisci Transilvanici. — Ludovicum Magnum anno 1378. Woyko, Joannis Hunyadii patri, donationem, proin nobilitatem, impertitum fuisse, cum aulae regiae miles laudetur a Sigismundo, id est Nobilis, a Ladislao autem Posthumo nobilitate insignis perhibeatur, ut infra, simile vero est; diploma igne consumtum esse, dolendum. Josephi L. B. Nalaczy testimonio.

II.

Joannes, filius Oláh seu Woyk de Hunyad, militaris virtutis merito, ab Alberto R. H. Banus Zewrinensis constitutus cum fratre cognomine bonis augetur. An. 1439.

Alberti, Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. Regis, literae, quibus Joannem et alterum Joannem utrosque filios Oláh de Hunyad, Banos de Severino, possessione donat. Anno Domini MCDXXXIX.

Originale ex Transilvania obtinere haud potuimus. Hic per Oláh de Hunyad, Voikum, Joannis nostratis patrem intelligendum esse, ambigendum haud est. Possessiones nova donatione impetratas ac roboratas indicant litterae Ladislai de Palócz infra anno 1456.

III.

Joannes de Hunyad in Conventu Budensi Vladislao regi suffragatur. An. 1440.

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quum gesta hominum, in huius labentis vitae stadio in mortem et oblivionem semper currentia, litterarum munimine soleant futurorum notitiae et memoriae conservari, proinde nos praelati, principes, barones, comites, milites, proceres, clientes, cives, totaque communitas regni Hungariae universaliter singuli et singulariter universi, tenore praesentium notum facimus, recognoscimus et fatemur, universis et singulis, tam praesentibus quam futuris, quod serenissimo et bonae memoriae Principe Dom. Alberto, Romanorum et praefati Hungariae regni rege, Domino nostro gratiosissimo, tempore noviter transacto, prout divinae placuit voluntati, viam universae carnis ingresso, considerantes, qualiter per obitum ipsius regnum nostrum praedictum vacaret,

et necessario sibi careret gubernatore et defensore; volentesque super huiusmodi casu opportune consulere, de bono et felici statu regni eiusdem providere et periculis, quae ex diuturna vacatione ipsius possent emergere, in tempore obviare; instituta mox ob eam totius regni in civitate Budensi generali conventione, coepimus exacta diligentia, mutuisque deliberationibus et consiliis nostris negocium hoc agere, modosque omnes et vias totis ingeniis nostris examinare, quibus de idoneo et tali rege saepe dicto regno potuissemus prospicere et providere, per quem regnum ipsum in statu suo feliciter posset conservari, adaugeri et contra barbaras et sibi infestissimas nationes protegi, et ab ipsorum crebris incursionibus Christi fideles respirare. Tandem post diuturnas deliberationes, postquam varios ad rem hanc habitos tractatus recensuimus, quod priscis temporibus, dum regna haec Hungariae et Poloniae, sibi confinancia et commetanea in pace, concordia et amicitia animorum speciali iuncta, colligata et unita fuerunt, sive regum suorum sanguinis propinquitate, quemadmodum tradunt historiae tempore S. Ladislai regis fuisse, sive dominationis identitate, quod adhuc nonnulli aetatis nostrae homines diebus colendae memoriae Ludovici regis memorant audivisse, qui utriusque regni gubernacula feliciter disponebat, multumque id et per omnem modum utilitatis, profectus et augmenti regnis istis attulit, tum ex alternis incolarum suorum accessibus, assiduisque eorundem commerciis, singulorum excrescebant commoda suffragantibus sibi mutuo regnorum ipsorum contra hostes suos potentiis, laus, honor, gloria viguit et respublica ipsorum in universum reflorebat. Et ob hoc tali considcratione permoti, post eiusmodi deli-

berationes nostras, accedente primum ad hoc illustrissimae principis D. Elisabethae, reginae nostrae, praenominati D. Alberti consortis legitimae, expressa voluntate, obtulit se prae omnibus aliis mentibus nostris persona Excellentissimi Principis D. Wladislai, Dei gr. Poloniae regis moderni, Domini nostri gratiosissimi, in quem demum vota omnium, qui in dicta Budensi et generali regni totius conventione fuerunt conventi, conversa erant, affectantibus omnibus ipsum sibi et dicto regno Hungariae praefici in dominum et regem. Et statim, ut potiremur votis, ad conficiendum huiusmodi negocium misimus ad praesentiam praenominati Dom. regis solemnes ambassiatores et nuntios nostros, speciali et sufficienti auctoritate et mandato tam praefatae D. Elisabeth reginae, quam nostra et regni totius fultos, et de expressa mente et voluntate eiusdem ac nostra ad plenum instructos, certificatos et informatos, videlicet R. in Ch. P. D. Joannem, Episcopum Segniensem, et Magnificos Dominos Matkonem de Talowcz, Dalm. Croatiae et totius Sclavoniae regnorum Banum, Joannem de Peren, Magistrum Thavarn. regalium, Ladislaum de Palócz, Curiae regalis Magistrum, et Emericum de Marczaly, Mag. Dapiferorum regalium et C. Simighieh.; et hi huiusmodi mandato, cum zelo boni communis regni saepedicti, tum etiam ad instantiam antedictae reginae et nostram suscepto, profecti sunt ad regem praedictum, in civitate Cracoviensi tunc constitutum, et venientes exposita primum coram Maiestate ipsius legatione iniuncta et demum exactis cum ipso D. rege, praelatisque, baronibus, proceribus et nobilibus regni Poloniae compluribus diebus in tractatibus, ad rem eiusmodi opportunis, negocium ipsum

commissum tam sapienter quam feliciter confecerunt, et praenominatum strenuissimum Principem D. Vladislaum in dominum et regem regni Hungariae et nostrum, praemissa auctoritate et mandato, nomine regni eiusdem nominaverunt et legerunt, expressis et numeratis in ipsa electione omnibus et singulis conditionibus et modis, qui iuxta traditam ipsis formam exprimi debuerunt, et signanter illis, per quos secundum voluntatem reginae praetactam et nostram collaudationem et consensum, ipsi reginae et proli, quam tunc in utero gestabat, ex ea sive in sexu masculino sive foemineo generanda, sufficienter exstiterat provisum, omniaque huiusmodi electionis negocia post intimationem de nativitate filii, per praefatam D. reginam, praefatam nunciis nostris factam, mandato praefatae Dom. reginae et conclusa et confirmata sunt. Nos itaque praelati, barones, principes, comites, proceres regni Hungariae superius memorati animadvertentes, praenominatos dominos ambassiatores et nuncios nostros electionem praedictam, iuxta vim et formam eisdem datam et desiderium nostrum egisse et perfecisse, eamdem unanimi voto acceptavimus, gratificavimus, collaudavimus et confirmavimus, et praesentium serie acceptamus, gratificamus, collaudamus et confirmamus, et saepefatum serenissimum et inclitum Principem D. Wladislaum, Poloniae regem, in dominum et regem regni Hungariae et nostrum recipimus, assumimus et profitemur, ac recognoscimus; sibique tanquam domino nostro naturali et regi debitum honorem, obedientiam, venerationem et fidelitatem, quamdiu vixerimus, exhibebimus et faciemus; et contra omnes aemulos suos et signanter, qui serenitatem suam in assecutione regni Hungariae et

dominii praedictorum quomodolibet impedire et perturbare voluerint, omnibus viribus, potentiis, consiliis et auxiliis fideliter adiuvabimus, nec ipsum quandocunque, occasione aut quovis quaesito colore, ullo unquam tempore deseremus, ac coronationem praetensam nuper de mense Maii, de dicto filio infante dicti Alberti olim regis, praeter ac contra voluntatem nostram factam, inanem et irritam determinamus tenore praesentium mediante, sed ea non obstante singula suprascripta, pura fide irrevocabiliter servare et inviolabiliter tenere, sub onere praestiti iuramenti, quod super lignum vivificae crucis universaliter singuli et singulariter universi praestitimus, volumus et promittimus, sine omni dolo et fraude, nec his ullo unquam tempore verbo vel facto contravenire. In quorum vim, robur et testimonium sigilla nostra praesentibus sunt subappensa. Datum Budae, ipso die SS. Petri et Pauli Apostolorum, anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo."

Apud Dogiel Tomo I. p. 54 sq. Conventui huic Joannem de Hunyad interfuisse testatur Dlugossus l. c. lib. XII. col. 755.: „Excitati, ait, fama in Budam Wladislai regis adventus, singuli Praelati, Barones et Nobiles Vngariae, omnes catervatim Budam adveniunt, et imprimis Matthaeus de Tallocz Sclavoniae Banus, qui recenter ex vinculis et captivitate reginae Elisabeth ex oppido Sopronio, in quo tenebatur vinctus, subsidio barbitonsoris unius effugerat; deinde Nicolaus Fristaszky de Vilak, item Moruch Janos, Johannes maior de Peren, Magister Tavernicalium regalium, Czech Petri filius Ladislaus, Joannes de Lossoncz, Joannes de Hunyad, Emericus, alias Vaiwoda filius de Marczaly, Stephanus de Rozgon, Reinholdus Frangepan, Pancratius de S. Nicolao, Ország Michael, Nim-

phor (?) Simon de Palocz, Chaky Ferencz, Jaczkones (Jassones) et innumerabiles alii. Georgius Despotus Rasciae notabiles nuncios transmisit. — Venit ex post Mathias Episcopus Vesprimiensis, Cancellarius regni, Joannes Archi-Episcopus Colocensis, item Quinqueecclesiarum, Transilvan. Zagrab. Nitrien. Sirmien. Vacien. Varad. Chanadien. Episcopi, Dionysius Card. et A. Ep. Strigon. propter coronationem, quam de filio olim Alberti contra ordinationem regni fecerat, et Ladislaus de Gara Banus Slavoniae propter ademtionem coronae materialis, in sua fide et custodia positae, furorem populi pertinescentes, non nisi petito et impetrato a Wladislao R. salvo conductu venerunt.

IV.

Joannes de Hunyad Wladislao regi Hungariae coronato adhaeret, in Comitiis Albae regiae celebratis. An. 1440.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Amen. Nos Praelati, Barones, Milites, Proceres et Nobiles totius regni Hungariae, cum efficacissima facultate communitatem eiusdem repraesentantes, ad perpepetuam rei memoriam. Multum clare cognitum coram nostris constat obtutibus, praedecessorum nostrorum consummatis hucusque temporibus, reipublicae diligentiam, eiusdem utilitatis operosam advertentiam, hoc in regno fuisse actum solertia, et ex eiusdem directione tam provida, quam utili, non parvum, imo maximum in christiana religione commodum viguisse. Quae etsi plerumque in temporum mutabilitate, ut assolet, nunc impugnationibus diversis, nunc vero aliorum stimulorum iniectionibus, in se immissae adversitatis seminarium pertulerit et fortunae variae ventilabro utcunque agitata fuerit, aegre tamen successit ea, quae semper animorum identitas et voluntatum recuperata unanimitas, ut haec ipsa, quae

visa sunt interdum ad publicam utilitatem conducere, accuratius ordinari et disponi, illa vero, quae communis taciturnitatis et dissidii materiam immittere, agnita sunt, providentiae sarculo exstirpari et evelli sollicitius curabantur. Quo pacto et nos, qui praesentium temporum die cursum vitalem deducimus, opportune arbitrati sumus, cum pari modo et per nos mutari operam debere, quatenus res huius regni et nostra iuxta modernorum qualitatem agendorum et temporum, sicuti provide sic et salubriter regi, ac in melius, auctore Domino dirigi propensius cognoscatur. Si quidem mortuo nuper et de hac vita sublato quondam Illustrissimo bonae memoriae Principe, Domino Alberto Romanorum et huius regni Hung. immediato rege, dum generali in civitate Budensi congregatione celebrata, cognoscentes regnum hoc, quod plurimorum aemulorum et praecipue paganorum impugnatur incursibus, idoneo et habili Rectore carere non posse, missisque communi voluntate, assensuque Serenissimae Principis, Dominae Elisabeth, reginae Hungariae, praefati quondam Domini Alberti regis relictae, prout hoc ex literis eius clare constat, quod etiam omnium nostrorum ad Serenissimum Principem, Dominum Wladislaum regem excelsum Poloniae, solemnibus Ambassiatoribus et nuntiis nostris, eundem tanquam regem, curatorem et rectorem huius regni, communi desiderio electum, ad hunc locum, primum pro honore Dei, et fidei sanctae catholicae augmento et demum pro utilitate nostra ad suscipiendam coronam eiusdem regi invitassent, et diligentius instantes induxissemus, quia tempore intermedii praefata Domina Elisabeth regina ex adverso aemulorum et verius externorum hominum intestini belli viam potius aperire, quam prae-

eludere cupientium freta consilio et praesumtam intentionem removens, satagensque et volens hoc regnum, et nos regimini infantuli, dicti quondam Domini Alberti regis nati posthumi, hoc est post obitum in lucem editi, parum nostri et regni eusdem necessitati succurrere potentis, subiicere, ad impediendamque praetactae electionis et coronationis utile opus toto nisi anhelans, sublata clandestine de castro Wissegrad corona, illa, qua hactenus reges Hungariae coronari soliti fuere, primum antedictum infantem, vix adhuc trimestrem praeter omnium nostrum voluntatem, ad hoc sponte concurrere debentium, atque contra consuetudinem hucusque in simili retentam absentibus etiam omnibus apparamentis sacris, nec non gladio, sceptro, pomo et cruce legationis Sanctissimi Siephani primi regis nostri, multo amplius in perniciem, quam utilitatem nostram cum corona sublata coronari, si sic dignum est, fecit et procuravit, atque ipsam continuo coronam, proh dolor! viceversa recludens ad locum hactenus nobis incognitum, in crudele omnium nostrum derogamen transmisit seu asportavit. Ob hoc nos nunc altera vice, in multitudine tam copiosa, quantum memoria omnium praecedentium regum coronationis tempore non comprehendit, congregati matura plurium dierum deliberatione habita, ex quo corona illa supratacta, praevia ratione, ut opus erat, tam facile ex nunc haberi non potuit, volentes et consultius cupientes necessitati nostrae et regni huius, cuius pro nunc confinia per insultantium inimicorum, paganorum videlicet et aliorum morsus asperos continuo lacerarentur, opportune providere, considerantes etiam potissime, quod semper regum coronatio a regnicolarum voluntate dependet et efficacia et

virtus coronae in ipsorum approbatione consistit; — videntes nihilominus regnum hoc idonei regis festinatione carere non posse, eumdem Serenissimum Dominum Wladislaum regem pari voto et communi desiderio alia corona aurea, operis vetusti Beatissimi Stephani regis, Apostoli et Patroni nostri, in theca capitis reliquiarum eiusdem hucusque magna veneratione conservata, constituimus, disposuimus et decrevimus debere coronari, quam coronationem die hodierna invocata suppliciter S. Spiritus gratia, et eiusdem, ut pie credimus, instinctu cum peractione publica et manifesta omnium illarum ceremoniarum, quae ad eandem et ad eius efficaciam et solennitatem concurrere debuerunt, induto praefato Dom. rege nostro illis omnibus paramentis et indumentis sanctissimi primi regis nostri atque oblatis eidem ac manibus suis traditis, gladio, sceptro, pomo ac cruce legationis eiusdem sancti regis, nec non omnibus aliis necessariis absque omni defectu praeter solam sublatam coronam praetactam, feliciter confirmavimus et praeconceptum, auspice Deo, conduximus ad effectum; decernentes, pronunciantes et declarantes per haec scripta, ipsam modernam coronam et coronationem, omnem illam virtutem et efficaciam, illudque robur per omnia habere et habituram, ac si praetacta prior corona capiti Dom. nostri regis fuisset imposita, et per eandem modernae loco haec ipsa coronatio fuisset expedita, ita quod ipsa priori corona absente, et si eadem recuperari non poterit, omnis deesset efficacia, ac quodlibet signaculum, misterium et robur eiusdem in hanc modernam coronam intelligantur, et harum serie de omnium nostrum, quorum merita discutere, probareque et improbare interest, voluntate cognoscan-

tur esse transfusa, dantes nihilominus et pari voluntate et decreto tribuentes, praefato Domino nostro nunc coronato regi, plenissimam illam facultatem et potestatis plenitudinem in faciendis gratiis et donationibus et confirmationibus perpetuis, et ad tempus collationibus et locationibus bonorum et officiolatuum, atque immunitatuum officialibus et Baronibus regni. Item in disponendis praelaturis ac beneficiis ecclesiasticis, tam maioribus quam minoribus ac recompensandis meritis fidelium, quibuslibet quoque infidelibus et delinquentibus, secundum unius cuiusque demerita puniendis, nec non in faciendis, emendandis et exercendis iudiciis, exercendisque, agend. dirigendis et concludendis omnibus his, quae ad reges Hungariae, suos praedecessores et eorum facultatem quomodolibet, consuetudine videlicet aut iure pertinerent, ac si idem praefata priori, nunc sublata corona, fuisset, ut moris exstitit, coronatus. Proposuimus tamen istis sic stantibus, eandem priorem coronam cum ipso Domino nostro rege unanimiter toto posse et omni diligentia, loco cognito conservationis eiusdem, exquirere, atque dante Deo recuperare; adiicientes communi voluntate, quod in casu, quo eadem corona prior huiusmodi diligentia nostra, quod Deus avertat, recuperari non posset; extunc a modo in posterum futuris semper temporibus, universorum regum Hungariae, huic succedentium coronatio cum praetacta, alia, puta, moderna S. Regis corona, in ea solennitate, prout solitum est, absque omni immutatione peragatur. Voluimus consequenter et disposuimus, ut haec ipsa corona moderna, inclytum nostrorum regum insigne sub diligentissima custodia deinceps teneatur et honorifice relinquatur, reputeturque haec eadem corona, illa

priori absente, et si eadem recuperari non poterit, sufficiens et cum apparamentis et aliis attinentiis supre tactis, per omnia competens sit ad omnium futurorum regum coronationem faciendam. Hoc tamen specialiter declarato, quod si, Domino cooperante, ipsa prior corona recuperari viceversa poterit, eadem suis decore, virtute, efficaciaque minime frustrata habeatur. Quin imo decrevimus, eandem pristino honori restitui, atque in locum priorem reponi. De hac autem moderna corona supertacta tandem in isto statu disponetur, prout antedicto Dom. nostro regi cum consilio nostro utilius videbitur expedire. Ne autem respectu et divulgatione praetactae aliae coronationis, si sic ducendum est, nuper per praefatam Dominam reginam, quoad antelatum infantem nobis extunc, ut praediximus, invitis factae et habitae alicuius discordiae hoc in regno materia generetur, eandem pari decreto tamquam, quae praeter omnium nostrum voluntatem spontaneam peracta est, irritamus, cassamus, ac nullius volumus esse et dici efficaciae et virtutis. Postremo, ut haec omnia praemissa tamquam utilitati communis in praesenti necessitatis tempore, per omnia congrua robur obtineant perpetuae firmitatis, ne unquam aliquorum pravis conatibus eadem retractari vel immutari valeant, statuimus et pari decreto conclusimus et promulgavimus, praesentiumque serie promulgamus et decrevimus, ut si temporum processu aliquis vel aliqui coronae regni Hungariae subditus vel subiecti, sive ex Praelatis, sive ex Baronibus aut Militibus seu Nobilibus sit, vel existat, primum praemissae ex nunc multis rationibus et causis approbatae coronae et coronationi demunire, aliis dispositionibus, conclusionibus et ordinationibus supra specificatis seu cuipiam

ex eis verbo serioso aut opere et facto contraire vel contradicere, seu immutari, retractari et in irritum revocari procurare praesumserit seu attentaverit, tales vel talis mox, postquam de eis vel aliquo horum contra ipsos seu ipsum certitudo veritatis constiterit, ii omnium bonorum, humanitatisque et dignitatum et nobilitatum amissione, ablata omni spe obtinendae gratiae condemnentur seu condemnati ipso facto censeantur, quodque ultra haec perpetuae et indelebilis infidelitatis crimen laesae Maiestatis, reipublicaeque turbatoris poenam et iudicium incurrant, omnesque possessiones et bona eiusdem et ipsorum omnium, eis denegata gratia, ad coronam et Maiestatem regiam devolvantur et devoluta intelligantur, harum nostrarum, quibus sigilla nostra appensa sunt, testimonio litterarum mediante. Datum in Albaregali XVII. die mensis Julii, hoc est die dominico proximo post festum divisionis Apostolorum Anno Dom. MCDXL.

Apud Sommersberg Diplom. MSS. Tomo II. Dlugossus Lib. XII. pag. 744.

V.

Idem Joannes de Hunyad fidei ac servitiorum merito, a Wladislao R. Hung. Vaivoda Transilvaniae constitutus possessionibus locupletatur. An. 1440.

Wladislaus, Hungariae, Poloniae etc. Rex, possessiones Solymos, Beregzow, Nyavalás et Buryan, in Comitatu Hunyad, quae alias ad officium Vaivodatus Transilvaniae spectabant, pro utroque Joanne, filiis Voyk de Hunyad, Banis Zewriensibus, donat. Anno Domini MCDXL.

Vide Regesta Transilvana in Codice. Praeter has alias insuper possessiones in Bulgaria a Wladislao rege sibi donatas ipsemet recenset infra.

VI.

Joannis de Hunyad Vaivodae Transilvani super conditionibus pacis ab Elisabetha propositis sententia. An. 1441.

Joannes de Hunyad, Waivoda Transilvaniae — — — Prius extrema quaequae pericula subeunda, quam pati, ut regnum, quod sat amplum a maioribus acceperint, iniqua pacis conditione minuatur: nihil de regno neque ad praestitutum tempus, neque perpetuo alienandum, nihil Hungariae, turpius futurum, quam imperium, antiquorum exemplo propagandum, per negligentiam, pusillanimitatemque in dies diminuere; si bellum cum regina continuetur, unde facilis concordia sperari potest, minoris constitutum, quam haec efflagitata concordia, quam tanti per nobilium regni membrorum alienationem commercentur. — Anno Domini MCDXLI.

Corvinus, qui domi otium et foris bellum semper amaverat, quum Provinciam Turcarum metu relinquere non posset, suam his literis sententiam significavit" Bonfinius Dec. III. Lib. V. Agebatur de Gallicia et Lodomeria, Moldavia ac tredecim oppidis regi Poloniae transcribendis, si Wladislaus pro Elisabetha regina regno decederet.

VII.

Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae, obitum fratris sui Joannis pia fundatione recolit. An. 1442.

Joannes de Hunyad inter caeteros honores Vaivoda Transilvaniensis, ac Comes de Szolnok, commendamus — — — — Vniversis, quod cum illa sint in cordibus nostris potiora, illa imprimis obtutibus gratiora, per quae Deus laudatur, trames iustitiae colitur et respublica fovetur; tunc enim Deus

laudatur, trames iustitiae colitur et respublica fovetur, tunc etiam Deum rite laudare et eius iustitiam colere et rempublicam confovere videmur, cum prae caeteris nostris actionibus salubrius ecclesias Dei gloriosi et venerabilium Sanctorum suorum, unde salus omnium defluit, iuxta nostri honoris et officii exigentiam confovemus, ac in suis iuribus et libertatibus conservamus, ad quae efficienda ex speciali mentis nostrae desiderio pia consideratione, totis viribus anhelamus, ut quae per fructum boni operis seminamus in terris, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in coelis. Hinc est, quod honorabiles Domini Georgius Cantor, Andreas Archidiaconus de Telegd et Antonius Siculus Decanus, Canonici dictae Ecclesiae Transilvanae, tam ex parte ipsorum quam aliorm Canonicorum ipsorum et per consequens Ecclesiae ipsorum cathedralis B. Michaelis Archangeli Albensis Transilvanae, dum nos feria IV. — — — disponente Domino in oppido Thorda fuissemus constituti, nostram venientes in praesentiam, nobis exponere et declarare curaverunt, quomodo praedicti Domini de Capitulo et consequenter Ecclesia ipsorum praenotata, circa quasdam possessiones videlicet Bolgár, Cserged, Diomal et Tinod, in Comitatu Albensi existentes, nostre per decessum quondam Michaelis, filii Ladislai de Diogh, donationi seu collationi reginalis Maiestatis, nec non illustrissimi Principis Dom. Wladislai Regis Hungariae, Poloniae et Domini nostri gratiosissimi, ad manus nostras — — — existentes, ab antiquis temporibus, plenum, efficax ius habuissent, et haberent de praesenti. Super quibus ibidem et in continenti certas litteras ac privilegia nobis exhiberi procurarunt, supplicarunt itaque nobis, ut nos praedictas posses-

siones ipsis Dominis et Ecclesiae ipsorum, intuitu nostrae salutis et quondam egregii Joannis Minoris de Hunyad, militis militum, fratris nostri charissimi, in actu reipublicae, in partibus Transilvanis defuncti, et in praedicta Ecclesia B. Michaelis Archangeli tumulati, animae refrigerio remittere et declarare dignaremur, in cuius recompensationem praedicti Domini disposuissent inter se pro salute quidem nostra et dicti fratris nostri charissimi, stipendiis spiritualibus occurrere. Nos itaque attentis praedictorum Dominorum huiusmodi expositionibus — — — nobis factis, visisque praedictis litteris, nec non privilegiis eorumdem — — — continentiisque earum sane intellectis, pia, grata et salubri meditatione considerantes, quod praedicti Domini de Capitulo et consequenter ecclesia ipsorum B. Michaelis Arch. praenotata, circa praenotatas possessiones plenum et efficax ius habere dignoscerentur; hac itaque consideratione, nec non propriae et dicti quondam fratris nostri charissimi, salutis intuitu et contemplatione ex eo etiam, quod praelibatus frater noster — — in praenotata ecclesia — — extitit tumulatus, et nos ipsi in eadem inspirante Domino elegimus sepulturam, habitis superinde cum praefatis Dominis de Capitulo tractatibus, contractibusque factis, positionibus salutaribus infrascriptis praedictas possessiones Bolgar, Cserged, Diomal et Tinod simul cum earum utilitatibus et pertinentiis quibuslibet — — terris (etc. ut stylus habet) omni eo iure, quo per priores eorumdem possessores a dudum, per nos vero hactenus, usque modo, usae, tentae sunt et fuerunt — — totis etiam et cunctis iuribus, quae circa easdem habuimus — — Ecclesiae B. Michaelis Archangeli — — et per consequens Capitulo et

solis duntaxat Dominis Capituli Ecclesiae praenarratae, successoribusque eorumdem Canonicorum — in laudem et gloriam divini nominis et B. Michaelis Arch. — — cuius patrociniis nedum in terris, verum etiam in coelesti hyerarchia speramus confoveri remisimus et relaxavimus, imo dedimus, donavimus et contulimus — — iure perpetuo et irrevocabiliter — — — Tali tamen conditione — — quod praedicti Domini de Capitulo et eorum successores, in recompensationem certis missarum officiis sive celebrationibus perpetuis temporibus, puta pro singulis diebus Sabathi, in specialem honorem et condignam laudem, et memoriam genitricis Dei et Virginis illibatae, singulis vero feriis secundis pro animabus fidelium defunctorum, singulis autem feriis quartis, singularum hebdomadarum in honorem, consolationem Spiritus S. Paracleti corda fidelium suorum ignis sui illustratione foecundantis, singulas missas, vocali modulamine decantari facere, aliis quippe singulis diebus, tam festis quam feriatis singularum hebdomadarum, successivis temporibus, semper in futurum fide Christi in ecclesia Dei perdurante, singulas missas pro defunctis, super altare B. Cosmae et Damiani Martyrum in annotata ecclesia Transilvana constructo, cum eorum propriis et specialibus officiis, horis suis debitis legi et celebrari facere debeant — et sint de facto obligati. — — Hoc etiam specialiter declarato, quod si temporum in processu, Nos aut nostri successores annotatos Ecclesiam et Dominos ac eorum successores, in pacifico dominio earumdem possessionum — — prout praesentibus spondemus, tenere non possemus, et conservare aut quoquo sub praetextu easdem — — de annotata Ecclesia et Capitulo contingeret alienari, extunc nos

et nostri haeredes et successores, aliam vel alias possessiones dictis possessionibus in utilitate et commoditate, et quolibet valore aequivalentes — — ipsis dare et conferre simus, atque sint obligati. — — Datum anno Domini MCDXLII.

Apud Ant. Szereday Not. Cap. Albensis Transilvaniae p. 87. sqq. Consentit lapis sepulchralis, qui in eadem Albensi Ecclesia visitur sequenti cum inscriptione: miles vocatus frater gubernatoris, sit iunctus angelicis choris, Anno Dom. MCCCCXXXXIV. de Hunyad.

VIII.

Concordia inter Wladislaum R. H. et Elisabetham reginam viduam consilio Joannis de Hunyad tentata. An. 1442.

Elisabeth, Dei gratia Regina Hungariae, Dalmatiae etc., Austriaeque et Styriae Ducissa, nec non Marchionissa Moraviae. Notum facimus tenore praesentium — — Quod cum nos huic inclito regno nostro Hungariae, malorum turbinibus lacessito, pio compatiamur affectu, eiusque bonum pacis, tranquillitatis et quietis, ex cordis intimo desideremus, contemplationibus etiam sanctissimi Domini nostri Papae Eugenii, cuius nomine superinde reverendissimus in Christo Pater, Dominus Julianus Cardinalis sancti Angeli, apostolicae sedis Legatus, nos requisivit et rogavit, ad complacendum Serenissimo Principi, Domino Wladislao regi Poloniae, Praelatisque et Baronibus, ac communitati regnicolarum regni nostri Hungariae praedicti, nos super hoc rogantibus et requirentibus, paratae sumus venire et descendere Strigonium, stantibus conditionibus infra illatis, videlicet primo: quod habeamus salvum conductum a dicto rege Poloniae, Praelatis et Baronibus

in forma, per nos Domino Cardinali data. Secundo: quod habeamus litteras patentes eiusdem Domini regis Poloniae assecurantes et certificantes, quod non compellemur ad sponsalia vel matrimonium contrahendum, aut aliud aliquid faciendum, praeter spontaneam et bonam nostram voluntatem, emanandas, in forma eidem Domino Cardinali data. Tertio quod habeamus literas assecuratorias Nicolai Bani, Stephani de Báthor, et aliorum in forma data praedicto Domino Cardinali. Quibus obtentis, dum scilicet per litteras et corporale iuramentum regis Poloniae et Praelatorum, Baronum ac potiorum Nobilium, Hungariae videlicet et Poloniae, partem eorum tenentium super praemissis assecuratae et certificatae fuerimus, prout hic praesente dicto Domino Legato tractatum, condictum est et conclusum, ad decimam quartam diem post festum nativitatis B. Mariae Virginis proxime affuturum, absque dolo constituemur, in nomine Domini in castro Strigoniensi, ita tamen, quod praefatus Dominus Cardinalis et Nicolaus Banus revertantur ad associandam et conducendam nostram Maiestatem. In cuius testimonium praesentes nostras litteras, nostro, eiusdemque Domini Legati, item reverendissimi in Christo Patris, Domini Dionysii Cardinalis, Archiepiscopi Strigoniensis, ac memorati Nicolai Bani et Stephani de Báthor, sigillis consignatas, duximus concedendas. Datum Posonii feria quarta proxima ante festum B. Laurentii Martyris. Anno Domini MCCCC. XLII.

Ex archivo caesareo regio aulico. Pray Syntagm. p. 94—6. Elisabetha mox post suum Strigonio recessum defuncta, regnum integrum, non item pacatum, reliquit.

IX.

Joannes de Hunyad Vaivoda in bona cambiata introducitur. An. 1442.

Wladislaus, Rex Hungariae, Poloniae etc. — Capitulo Ecclesiae Transilvanae — — Quum nos vigore aliarum literarum nostrarum cuidam concambiali permutationi inter fideles nostros, magnificum Joannem de Hunyad, inter caetera Vaivodam nostrum Transilvanum, ab una, ac Dionysium de Farnas, partibus ab altera, in personis et modo, de possessionibus infrascriptis factae, ubi videlicet praefatus Johannes Vaivoda quasdam possessiones suas Szász-Fülpes, in Clus et Magyar-Fülpes vocatas, in Tordensi Comitatibus, item praefatus Dionysius de Farnas possessionem suam, Buzás Bocsárd nuncupatam, in Comitatu Albensi partium Transilvanarum habitam, sibi ipsis mutuo dedissent et perpetuassent, nostrum regium consensum praebuimus, — igitur fidelitati vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum — — Datum Budae feria quarta proxima post palmarum. Anno Domini MCCCCXLII.

MSS. Cornidesianis.

X.

Apparatus belli contra Turcas gerendi. An. 1443.

Wladislaus, Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Lithvaniae Princeps et Haeres Russiae. Fidelibus nostris universis et singulis, Nobilibus ac alterius cuiusvis status possessionatis hominibus, Comitatus Liptoviensis, sub iurisdictione dicatoris lucri camerae nostrae cultelli Krem-

micziensis existentibus, salutem et gratiam. Damus pro memoria, quod nos proventus lucri camerae nostrae cultelli, fideli nostro Egregio Johanni, filio Nicolai Forgach de Ghymes, deputaverimus; ideo fidelitati vestrae et cuilibet vestrum, firmiter praecipientes mandamus quatenus statim visis praesentibus praeattactum lucrum camerae nostrae anni praesentis ex vestra, populorumque et iobbagionum vestrorum parte provenire debens, hominibus dicti Joannis Forgach, per eum ad hoc deputandis, praesentium videlicet ostensoribus, more alias solito, videlicet de singulis quinque portis 1 florenum auri, aut eiusdem valorem dicari et tandem exequi procuretis; imo sine difficultate extradere, solvere debeatis, et secus sub poena occupationis possessionum vestrarum facere non ausuri. Datum Budae, octavo die S. Epiphaniarum Domini. Anno eiusdem Millesimo CCCC. quadragesimo tertio.

Ex arch. Com. Forgách de Széchen. Mocsári Nográd várm. P. IV. pag. 116—7. Cultellum hunc in stipendiariorum suorum ad necessitates regni intertentionem obtinuit Johannes Forgács, ut e litteris anni prioris patet: „Wladislaus, Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalm., Croat. etc. Rex, Lithvaniae Princeps supremus, et Haeres Russiae, memoriae commendamus per praesentes: Quod quia fidelis noster Egregius Joannes, filius Nicolai Forgách de Ghymes, a tempore ingressus nostri in hoc regnum semper notabiles nobis exhibuit famulatus et in conservationem gentium suarum, cum quibus nostra egit obsequia, plures habuit sumptus et expensas adeo, quod usque ad praesentem diem nonnullis his stipendiariis debitor videatur existere, pro aliquo igitur subsidio eiusdem interim, donec prout intendimus, largiore sibi compensa respondere poterimus, lucrum camerae regis cultelli Crempiá-

denis, Comitatuumque sub iurisdictione eiusdem cultelli existentium, fisco nostro regio, anno in praesenti provenire debens, ipsi Joanni Forgách dutimus dandum et deputandum, imo damus et deputamus praesentium testimonio mediante. Datum Budae, in festo B. Barnabae Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo. Indidem p. 114—5.

XI.

Eiusdem argumenti. Anno 1443.

Nos Thomas de Szent-György sacrae domus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, per Hungariam et Sclavoniam Prior humilis et pauperum Christi custos. Memoriae commendamus, quod attentis et consideratis, ac in arcanum cordis nostri reductis multimodis et diversis servitiis ac complacentiis, egregii Magistri Joannis, filii Viti de Mokora, familiaris nostri specialissimi, sollicitatorisque et provisoris universarum causarum Ecclesiae nostrae praedictae, quibus idem primitus praefatae Ecclesiae nostrae, et tandem nobis ac toti ordini prioratus et cruciferatus, in diversitate locorum et temporum indefesse, ex sua benevolentia studuit complacere. Volentes igitur horum intuitu ipsi Magistro Joanni dono remunerationis subvenire, animo deliberato et ex bona voluntate, consiliique inductione et parili consensu ac annuentia speciali religiosorum virorum, fratrum nostrorum cruciferorum, S. Joannis de Guth, Ecclesiae Albensis Conventualis, Domini et Magistri Galli, Presbiteri Ecclesiae nostrae Strigoniensis, domus scilicet hospitalis sanctae Elisabethae in Strigonio fundatae Praeceptoris, caeterorumque omnium fratrum nostrorum cruciferorum, ubicunque locorum et in qui-

eunque ecclesiis nostri prioratus existentium, similiter parili voluntate et consensu atque annuentia, possessionem nostram Szirak, et Ecclesiae nostrae Strigoniensis praedictae, in Comitatu Neogradiensi existentem, praefato Magistro Johanni, filio Viti, eiusdemque haeredibus et posteritatibus universis, nomine praediali more aliorum praedialium nostrorum Ecclesiae nostrae dedimus, donavimus, contulimus, sub hac conditione, ut ipse Magister Joannes et sui haeredes, annis singulis unum vas vini 60 cubullos Budenses in se continens, et unam garletam frugum dare et solvere debeat et teneatur. Quod si dare nollet aut non posset, extunc huiusmodi solutionis loco, duobus equis, exercituantium more, eo tempore, dum generalis exercitus in regno moveretur sub nostro vexillo servire faciat. Datum Budae sexta proxima ante festum B. Tiburtii et Valeriani Martyrum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio.

Indidem Mocsári l. c. P. I. p. 284 sqq.

XII.

Idem Vajvoda et Capitaneus exercitus generalis victoriam a se relatam Nicolao de Ujlak, collegae suo perscribit. An. 1443.

Magnifico Domino Nicolao de Ujlak, Waivodae Transilvaniae, Fratri nostro charissimo. Putamus, quod opus non sit vestrae magnificentiae iterum scribere de illa victoria, quam paucis ante diebus omnipotens Deus nobis et christiano populo concessit, quam credimus iam magnificentiae vestrae et per litteras regias, simul et nostras, ac ipsa fama Hungaris plene informata. Vnde illis obmissis ad ea, quae

iterum Altissimus ex sua miseracordia nobis concessit, stylum convertimus. Dum enim post eandem priorem victoriam ad terras inimicorum ulterius processissemus, quaerendo iterum modum pugnandi cum ipsis inimicis, nec tamen reperire poteramus, nos de mandato et licentia regiae Maiestatis electis XII. millibus equitum et vestra simul nobiscum familia, relictis castris penes fluvium Morva, ipsum fluviuum transmisimus explorando, si forte alibi hostium laterent copiae, dumque ad civitatem, Nissa vocatam, venissemus, illam obtinuimus et ablatis primo praedis, eandem succendimus; dumque aliquantulum ibidem moraremur, ecce apparuit quidam princeps Semel Ezebeg, quem satis leviter fregimus et fugavimus. Quo fugato, iterum comparuit novus basa, qui similiter fugatus et confractus fuit, tertio comparuit Twrkanibegh, quem similiter sicut alios fugavimus. Existimavimus enim inter eosdem conditatum fuisse, ut illa die ad dictam civitatem Nyssa convenissent et coadunatis eorum potentiis castra nostra invasissent. Sed Deus consilia eorumdem perrumpendo destruxit. Verum dum eos insequeremur et in quamdam civitatem pro copia aliquantulum pausaremus; nunciatum nobis erat per exploratores nostros, quod quidam alius magnus et validus exercitus a latere sinistro veniret, et iter suum usque ad castra domini regis dirigeret, cui etiam exercitui omnes isti fugati, quos supra nominavimus, iam coniuncti erant. Quo intellecto statim et sine mora versus castra regia nos convertimus, ubi nobis redeuntibus conspeximus in planitie unius campi magnam et terribilem hostium multitudinem; ita quod aliquantulum in animo commoti fueramus. Sed tandem resumto animo, acies more bellico ordinavimus et

sine aliqua mora cum eisdem conflictum habuimus, qui virtute magna divina per nostros et per vestros debellati sunt, sine magna offensione nostrorum et laesione. Vnde Deus exorandus atque benedicendus est, qui tantam misericordiam populo suo christiano donare dignatus est. — Fuerunt autem in ipso praelio basa novus, item Ezebegh, filius Kwrenycz; item Zyvambegh, Vayda de Kwrsolch; item alter Twrhambegh cum banderio Koywanow; item Hermann Balaber, Janon cognominatus; item Alybegh, Samey gubernans; item Hamzabeg cum banderio Beze; item Kapuzbeg cancellarius imperialis; item Izaak, regens Plowdensis; item Dawbegh, tenens Zethnicze et caeteri eorum similes et etiam; ex quibus anticus basa captus est; novus autem evasit, captique sunt et alii plures Vavodae, quibusdam interemtis et paucis evadentibus. Finito autem praelio, gratias egimus Deo omnipotenti et regiae Maiestati banderia hostium et nostros captivos obtulimus, qui illos cum omni devotione suscepit, gratias agens Deo. Verum ipse solus imperator Omoreth nunc est personaliter ad tres dietas a nobis, ita quod aliter non est possibile, quam cum eo confligere, et illud, quod fieri debet, iam Deus praescivit; sumus enim in manu Dei. Illud, quod Deus ipse voluerit, fiat. Semel moriendum est, et praecipue pro fide. Verum exercitus noster adhuc integer est et animosus, de die in diem augetur; venient enim ad regiam Maiestatem multi homines, Bulgari, Bosnenses, Albani et Rasciani cum muneribus, gaudent et laetantur de adventu nostro; victualibus enim in copia habundamus, nec dum etiam attingimus ea, quae nobiscum in curribus detulimus; optabile et desiderabile tempus aëris habemus, et forum optimum victualium.

Et quia, carissime domine, intelleximus tam ex litteris vestris, quam ex relatione amicorum vestrorum vos iam aliquantulum convaluisse; rogamus et consulimus vestram magnificentiam, ut ad nos, quocunque modo poteritis, veniatis, et hunc honorem nulli tribuatis; sed ostendatis illud, quod semper duxistis, regiae Maiestati et regno facere: ut in ea re vos nullius consilio avertatis, qui si aliter vestrae magnificentiae consuluerit, erit vester traditor et acceptor. Nam sine aliquo periculo optime venire poteritis etiam cum equis sedecim. Postquam autem Rasciam intrabitis, mittemus in occursum vestri, quotquot volueritis. Alia dicet vobis Antonius lator praesentium, cui fidem adhibeatis. Familia optime stat, sana, illaesa, agilis, alacris, volente Deo. Da in descensu regali Scaronensi, octavo die omnium Sanctorum ad oppositum castri rupti, Balvan dicti, anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio. Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae, Capitaneus exercitus generalis.

E cymelio Bibliothecae Episc. Quinqueecles.

XIII.

Joannes de Hunyad, Transilvaniae Vaivodas, treugis cum Amurathe, Turcarum Sultano initis, comitialiter dissiis, se ad bellum cum rege Wladislao iturum promittit. An. 1444.

Nos Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Lithvaniae supremus Princeps, et Haeres Russiae, ad universorum notitiam. Dudum in conventione generali Praelatorum et Baronum, ac Nobilium huius regni nostri Hungariae Budae novissime celebrata, pro honore omni-

potentis Dei, ac pro defensione et augmento christianae fidei et pro bono totius Ecclesiae catholicae, praesertim vero liberatione huius regni nostri et partium circumstantium, quas ipsi Turci multis retroactis annis, atrocissime sunt persecuti, et de praesenti persequi non cessant, decernimus, firmamus et stabilimus unanimi consensu et voluntate totius praedictae conventionis ire personaliter et nobiscum ducere ista aestate, seu anno praesente exercitum versus partes Graeciae et Romaniae et cum Dei adiutorio, totis viribus nostris laborare, ad exterminium dictorum impiorum Turcorum, idque pro maiori rei firmitate, iuravimus in manibus reverendissimi in Christo Patris, D. Juliani Cardinalis S. Angeli, Apostolicae sedis Legati, executioni demandare, ad consolationemque totius christianitatis hanc nostram puram intentionem et deliberationem nostris litteris manu nostra subscriptis, significamus sanctissimo in Christo Patri ac Dom. nostro Papae Eugenio IV. et serenissimis Regibus et Principibus Christianis, propter quod nemo quoquo modo cogitare debet, quin nos tam sanctam deliberationem, solennem, iuratam, et ubique publicatam velimus, et omnino disponamus, Deo propitiante ad executionem et optatum finem deducere. Nihilominus quia nonnulli propter adventum Amurathi, Imperatoris Turcorum fieri postulatum, adhuc dubitare videntur, an praedictam deliberationem Budae factam, et nunc iuratam exequi velimus, idcirco ad tollendam ex animis quorumcunque huiusmodi de nobis dubitationem seu suspicionem, aut ambiguitatis scrupulum et praesertim, ut reverendissimi in Christo Patres et Domini, Dominus Franciscus Venetus Vice-Cancellarius et praedictus D. Julianus Supremus Poenitentia-

rius S. R. E. Cardinalis et Apostolicae sedis Legati, nec non Magnifici Capitanei Galliarum, tam illustrissimi Domini Duces Burgundiae, quam illustrissimi Domini Venetiarum; peramplius de sinceritate et integritate mentis nostrae, firmitate nostri propositi, ac observatione nostrae praescriptae deliberationis et promissionis certificentur, de consensu et assensu nostrorum Praelatorum et Baronum apud nos existentium, tam eorum, qui nobiscum ad exercitum venire debent, quam eorum, qui in regno nostro remanent, in verbo regio et honore nostro, ac sub fide christiana, in qua sanctissimum baptisma recepimus, et vitam consequi speramus, D. Cardinali S. Angeli Legato spondemus, promittimus et pollicemur, iuramusque et votum facimus sanctissimae Trinitati, Patri et Filio, et Spiritui S. et gloriosissimae Virgini Mariae, Dei Genitrici, ac omnibus Angelis et Sanctis Dei, et praesertim beatis regibus Stephano et Ladislao, patronis regni huius nostri, praedictam deliberationem nostram et promissionem Budae factam, effectualiter (effectui) demandare, et infra primam diem Septembris proxime sequentis esse cum nostro exercitu supra vadum Danubii ad Orsovam et apud alia vada et loca inferiora et immediate incipere transfretare et successive continuare effectualiter sine intermissione temporis transfretationem exercitualiter sine dolo et fraude, vel alio quocunque excogitato colore, iter nostrum in Romaniam et Graeciam et alias partes, quas retinent Turci, in et circa mare et facere quidquid nobis est possibile, pro viribus et potentia nostra, ut Turci isto anno expellantur de partibus christianitatis ultra mare, non obstantibus quibuscunque tractatibus aut pactitiis, seu conclusionibus aut capitulis treugarum

factis aut fiendis cum Imperatore Turcorum vel eius nunciis seu ambassiatoribus praedictis, ipsius nomine sub quacunque forma, verborum etiam iuramento firmatis vel firmandis, quibus omnibus per hanc praesentem nostram promissionem, iuramentum et votum volumus expresse et specifice derogare et derogatum esse ita, ut nullo ingenio, colore vel praetextu quoquo modo cogitari possit huiusmodi promissio nostra iuramentum et votum infringi, violari, impediri aut differri valeat vel possit. In cuius rei testimonium praesentes litteras fieri fecimus et publicari, ac nostri sigilli, quo ut rex Hungariae utimur, appensione muniri. Datum in Szegedin, quarta die Augusti A. Domini MCDXLIV. Et nos Simon de Rozgon, Episcopus Agriensis, regiae Maiestatis supremus Cancellarius, Joannes Episcopus Varadiensis, Raphael Herczeg de Zegen, ad Episcopatum Bosnensem postulatus et Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae, qui cum praefato Domino nostro regi ituri sumus, promittimus, iuravimus et vovimus in forma superius expressa. Et nos Petrus, Episcopus Chanadiensis, Laurentius de Hedervara, regni Hungariae Palatinus, Georgius Rozgon, Judex Curiae regiae, et Comes Posoniensis, Simon de Palócz, Magister Agazonum regalium, Michael Országh de Guth, supremus Thesaurarius Domini regis, Emericus filius Vaivodae de Marczal, pridem Comes Simighiensis, Paulus filius Vaivodae Bani de Alsó-Lindva, Simon Judex (l. Zudar) de Olnod, Magister Pincernarum regalium, Joannes de Losoncz, Paulus Herczeg de Zekchö, Rubertus de Thur, Danes de Macedonia, et Sylvester de Torna Comes de eadem, qui in hoc regno remanemus, in signum huius nostri consilii et assensus ad praedicta etiam nostra sigilla, penes si-

sillum Dom. regis apponi fecimus. Datum ut supra. Dom. Waivoda addidit in iuramento et voto suo: Quod si prima die Septembris non posset ibi esse, indubitanter infra IV. aut V. dies immediate sequentes ibidem constitueretur.

Apud Dlugossum Lib. XII. c. 792 sqq. En ergo treugarum cum Turcis anno elapso initarum derogationis causas: 1.) regni ac partium Hungariae iudesinens per Turcas persecutio. 2.) Promissiones Principibus christianis factae servandae. 3.) Partium restituendarum per Turcas retentio; iniqui proin sunt, qui bellum hoc contra Turcas motum Joanni de Hunyad regnum Bulgariae ambienti adscribunt. Hanc in rem animadvertit iam Ignatius C. a Batthyány LL. Eccles. Tomo I. fol. 487, „Hinc (e literis Vladislai) discimus, inducias cum Amurathe initas non fuisse, nescio quibus ex argutiis, rescissas. Si enim persequi non cessabat Hungariam, quis perfidiae accusabit Vladislaum (vel Hunyadium)? Monuit de insidiosis Turcarum pactis regem Palaelogus, si mala fide monuit Graecus Imperator, errore non perfidia fuit delictum. Adde, si placet, pacta non fuisse firmata; hinc ait memoratus Palaeologus de Amurathe in epistola ad Vladislaum data, ipsum parare legatos suos pro concludendis et firmandis conventionibus. Neque illud prorsus nullum argumentum erat, quod Wladislaus, postquam tot Principes in belli discrimina coniecisset, non poterat ob privata Despoti commoda inducias pacisci decennales. Contra hactenus dicta obiiciet aliquis, advenisse oratores; verum est: statuta tamen die non aderant, insidiae nunciabantur, persecutio non cessabat; quis ergo pacis foedera temeravit? — Wladislao et Hunyadio id unum obest, quod plerumque ex eventu de rebus iudicare solemus; infeliciter cessit bellum, inde concluditur ergo irato numine inchoatum fuit; iusta haec foret ratiocinatio, si Deus hic aut poe-

nas irrogaret aut praemia decerneret semper; si iusta causa semper superaret; quoties iustissimae clade finem acceperunt, fiunt haec occulto, semper tamen iusto Dei iudicio. Non possum hic non carpere Petrum de Rewa, qui epitaphium Vladislai in Pontifices, perfidum suadentes bellum, culpam coniiciens, carmine exaratum recenset — errat in eo quoque, quod Corpus Dominicum Turcis in obsidem datum fuisse, comminiscatur; quod falsum omnino est. Callimachus illis, qui cladi interfuerant, Synchronus Lib. III. §. ultimo scribit: Turci regio corpore invento, modicae altitudinis columnam, quae hodie quoque visitur, cum inscriptione rei gestae in eodem loco statuerunt." Nulla hic convitiorum in Pontifices iactorum memoria! —

XIV.

Idem Vaivoda cum Pancratio de Szent-Miklós, Capitaneo de Szakolcza confoederatur. An. 1444.

Nos Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvanus, Siculorumque, nec non Comitatuum Szolnok et Temesiensis Comes, Supremusque Capitaneus armorum et dux militiae exercitus christianissimi regis Hungariae, regni incliti, recognoscimus harum serie, quibus incumbit, universis: quod nos praesentibus ac mediantibus magnificis Michaele Országh de Guth, summo thesaurario regalis Maiestatis, ac Paulo, filio Bani de Lindva, una cum magnifico viro Pancratio de Sz. Miklós, Capitaneo de Szokolcha, inter nos mutua vicissitudine, sana mente, sincera fide ac bona et liberali voluntate inito statuto, sancito et iure iurando firmato foedere, atque vinculo amico, iugiter ac in posteros nostros semper duraturo, ipsum Magistrum Pancratium adoptavimus, elegimus et assumsimus, imo adoptamus, eligimus et assumimus no-

bis in verum ac fidum amicum, nec non sincerum ac cordialem fratrem, eumque simul cum filiis, prolibus, fratribus ac singulis posteris eiusdem, ut non fictos, sed verissimos, indubitatos et adoptatos amicos et fratres carissimos, sine dolo et fraude tenebimus, amabimus et diligemus, ipsi etiam Domino Pancratio in cunctis et singulis beneplacitis, scilicet necessitatibus eius et eventibus, prosperis pariter et adversis, a quibus Deus coeli dignetur praecavere, totis viribus, virtute, facultatibus, thesauris, humanitate et singulis bonis nostris, quae, dante Domino virtutum, possidemus et habemus, et ad nunc quoque habebimus et possessuri sumus et erimus, temporibus successivis semper et pro futuris sibi quidem et suis filiis, prolibus, fratribus et posteris, nos ac nostri filii, proles, fratres et posteri universi, uti fideles amici et fratres non ficti, sed cordiales, contra quoscunque aemulos et adversarios sibi contrariantes, resultantes et adversantes assistemus et adstabimus, amoreque, favore, fraternitate, amicitia, patrocinio, auxilio et singulis, quae illius nutui placita scimus, et accepta aderimus et occurremus, amicis quippe suis et suorum amici; sed et inimicis eius ac suorum universis erimus pro semper inimici. Quam quidem fraternitatem et amicitiam bona fide, sincera caritate, libera mente et voluntate, cordialiter iure iurando firmatam, propter quempiam hominem mundi aut praebito donario sive munere allectivo, non ad quorumcunque instinctus et suggestiones, nullo unquam tempore deseremus, neque violabimus, vita nostra suaque perdurante, et nec per filios, proles et posteros nostros terminata vita nostra temporali sinemus; neque permittemus dissolvi et disrumpi, vel per quemcunque modum vio-

lari. Quae cuncta praemissa et quaevis praemissorum singula spondemus et pollicemur, sub fidei nostrae christianae, Deoque debitae sinceritate per nos et nostros inviolabiliter et inconcusse, firme, firmiusque semper et in alterum observare, harum nostrarum appositione sigilli nostri authentici solidatarum, vigore, efficacique testimonio litterarum mediante. Datum Themeswar, secunda die festi B. Laurentii Martyris Anno Domini MCDXLIV.

E MSS. Cornidesianis. Cum filios obliget, indicium est, anno 1443. 10. Martii, Mathiam in lucem editum iam fuisse.

XV.

Hunyadius cum Wladislao Szegedini. An. 1444.

Vladislaus, Dei gr. Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae Rex, Lithvaniaeque Princeps, supremus haeres Russiae, fidelibus nostris Comiti vel Vice-Comiti et Judicibus Nobilium Comitatus Nitriensis, salutem et gratiam. Noveritis, quod nobis in festo Beati Petri Apostoli ad vincula, una cum nonnullis Praelatis et Baronibus nostris, primisque regni nostri proceribus, in oppido Zegediensi tribunali iudiciali considentibus, causasque querulantium iusto iuris tramite discutientibus, fidelis noster Egregius Joannes, filius Nicolai Forgách de Ghymes, contra et adversus fidelem nostrum Michaelem Országh de Guth, summum Maiestatis nostrae Thesaurarium, coram nobis et Dominis Praelatis, Baronibus nostris personaliter adstans, proposuit et conquestus est eo modo: quomodo ipse Michael Ország ex praeconcepta malitia, his proxime praeteritis scilicet post editionem et publicationem decreti novissimi, missis et destinatis Laurentio de Zana et Nicolao de Keres-

kuzi, Castellanis suis, in castro Suran constitutis; item Joanne de Kurth, Nicolao de Ebeduth, Ladislao de Kis-Manya, Nicolao Balogh, Georgio de Turuth, Joanne de Sook, Paulo de Zeknye etc. — — aliisque quam pluribus familiaribus et iobbagionibus suis, armis admodum munitis, hostiliter in quoddam castellum ipsius Komjathi vocatum, ab iisdem expugnatum attemptare (?) fecissent, ipsum sibi usurpare machinantes, in qua quidem expugnatione Ladislaum, fratrem carnalem ipsius querulantis, ictu sagittae letaliter vulneratum interimi fecisset, potentia mediante, in praeiudicium suum valde grande. Quo audito idem Michael proposuit ex adverso, quod ipse dictos familiares suos et quosvis alios ad dictum castellum antefati Joannis non destinasset, et dictum fratrem interfici non fecisset, sicque in totali praemissa actione inocens esset; ideo fidelitati vestrae firmiter praecipimus mandantes, quatenus visis praesentibus etc. Datum Szegedini praedicta, tertia die termini praenotati. Anno Domini Millesimo CCCCXLIV.

Ex archivo Comitum Forgách de Széchen. Mocsári Nógrád vármegye P. IV. p. 119—21.

XVI.

Joannes Hunyadii pugnae ad Varnam socius. An. 1444.

Serenissimo Principi, Domino Dom. Vladislao, Dei gratia Hungariae, Polon. Croat. — etc. Regi. Capitulum Ecclesiae Nitriensis, Domino eorum metuendo, orationes in Domino debitas et devotas. Vestra noverit Serenitas, quod quum nos recenter receptis litteris eiusdem vestrae Maiestatis praeceptoriis, per modum communis inquisitionis emanatas,

Comiti vel Vice-Comiti et Judicibus Nobilium Comitatus Nitriensis directas et sonantes, pro parte egregii Joannis, filii quondam Nicolai Forgách de Ghymes, contra et adversus Magnificum Michaelem Országh pe Guth, datas et exaratas, nobis praeceptorie loquentes, ad infrascriptam communem inquisitionem audiendam et videndam, duos ex nobis videlicet honorabiles viros Magistros Andream de Pussala, pro parte dicti Joannis Forgách, et Magistrum Andream de Berencz, pro altera parte, socios et concanonicos nostros, una cum Joanne de Ilmér, pro parte actoris et Nicolao Hul, pro parte in causam attracti, praeattactis vestris in litteris nominaliter expressis, nostro pro testimonio exmisimus fide dignos. Qui tandem iidem et vestrae Maiestatis homines, exinde ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt hoc modo: Quod ipsi in festo Beati Bartholomaei Apostoli, nunc proxime praeterito ad civitatem Nitriensem accessissent, ubi tunc omnes vicini et commetanei Castelli Komjathy convocati, aliique Nobiles, Comprovinciales Comitatus Nitriensis, per modum proclamationis generalis in praesentia Ladislai de Kopesd, vice et in persona praefati Vice-Comitis audientes, ac praescriptorum Judicum Nobilium dicti Comitatus et coram ipsis hominibus vestrae Maiestatis, nostrisque testimoniis constituti et praefato Joanne Forgách personaliter, ac Laurentio Castellano de Suran, Procuratore memorati Michaelis Országh praesentibus, per eosdem Ladislaum de Kopesd et Judices Nobilium ab iisdem ad fidem coram Deo debitam, fidelitatemque vobis et sacro vestro diademati regio observandam, tacto divinae crucis signo praestandam singillatim et seorsim examinati et per formam communis inquisitionis de eo,

si praefatus Michael Orszaghi post edictum et publicationem decreti vestrae Maiestatis actus potentiarios in dictis litteris vestris expressatos, per suos familiares ibidem supradicti manibus armatis ad expugnandum castrum praedictum, Joannis Forgách, Konjethy vocatum, venissent et Ladislaum interemissent. — Item Blasius Pozman de Molnarszegh dixisset, quod sciret, quod praemissa familiares Michaelis Országh fecissent, sed utrum cum facto Domini eorum ignoraret etc. Anno Domini MCCCCXLIV.

Indidem. Hic Joannes Forgács de Ghymes non tantum conflictui ad Varnam, sed etiam in campo Merularum interfuit. V. Belium Tom. IV. p. 383.

XVII.

Idem Vaivoda cum Stephano Thomasovics, Rege Bosniae, confoederatur. An. 1444.

Nos Stephanus Thomas, Dei gratia Rex Bosnae etc. — Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis: Quod, quia vacante pridem solio huius regni nostri Bosnae per obitum condam bonae memoriae Illustris Domini Stephani Twartko, ultimi regis eiusdem, patrui nostri carissimi, nobisque post ipsius decessum et ex eiusdem dispositione, in dominio castrorum et tenutarum coronae ipsius regni remanentibus, Serenissimus Princeps et Dominus noster gratiosus, Dominus Wladislaus, Dei gratia Hungariae et Poloniae etc. Rex, de speciali consilio et bona voluntate ac dispositione magnifici et potentis viri Domini Joannis de Hunyad, inter caetera partium Transilvanarum Vaivodae, supremi Capitanei armorum eiusdem Domini nostri Wladislai regis, nos in regem dicti regni Bosnae solenniter instituis

et confirmavit. Id circo considerantes, in huiusmodi confirmatione et voti nostri assecutione favorem et adiutorium praefati Domini Joannis Waivodae, nobis affinisse et benevolentiae utrinque conservandae respectu et sicuti pridem verbo ita extunc in nomine Domini sana deliberatione, sincera fide et bona voluntate tenore praesentium unimus et coniungimus nos praefato Dominio Johanni Waivodae ad fidelitatem et servitia praefato Domino nostro Wladislao regi et sacrae eius coronae inviolabiliter observanda; ipsumque Dominum Joannem Vaivodam adoptamus, accepimus et assumimus, sine fraude et dolo in verum, sincerum et perfectum fidelem amicum et fratrem in Domino Jhesu, promittentes firmiter eundem Dominum Joannem Vaivodam tamquam sincerum adoptatum et cordialem amicum nostrum pono corde et sincera mente diligere et amare, ac in necessitatibus adiuvare toto tempore vitae suae et nostrae, et eidem assistere in omnibus, praecipue quae erunt pro utilitate praefati Domini nostri Wladislai regis et eius regni Hungariae praenotati, huiusmodique assistentiae et amicitiae observationem non praetermittemus, non abiiciemus propter aliquem hominem, nec alicuius favore et inductione, neque pro tezawro, neque pro castris, nec pro aliqua re mundi. — Et si, quod Deus avertat, occurrerit eidem Domino Joanni Waivodae aliqua necessitas vel adversitas in dominio suo vel ex parte paganorum aut vicinorum sive cuiuscunque aut quorumcunque emulorum suorum et sibi insultantium, extunc in tali casu specialiter ipsum Dominum Johannem Waivodam non dimittemus, sed eidem cum persona, subditis familiaribus, camera et amicis nostris, omni facultate, quam nobis pro tali tempore dominus Deus

concesserit, assistemus, insuperque laborabimus et omni bona voluntate inducemus et inquirimus omnes fratres et amicos nostros, ubicunque existentes, ut una nobiscum dicto Domino Johanni Waivodae cari amici et benevoli existant, eidemque et fraternitatem observent. Quodque in maius signum huiusmodi amicitiae et fraternitatis compromisso, exnunc libertatem habeat ex facultatem praefatus Dominus Joannes Waivoda pro omni tempore affuturo, durante vita sua et nostra, venire fraternaliter ad nostras domos, dominia, possessiones ac tenutas, et iterum pro suo velle salve et secure redire, tam videlicet ipse, quam sui fideles servitores et familiares. Praeterea si successu temporum tanta occurrerit necessitas praefato Domino Joanni Waivodae, quod eum ex quacunque adversa causa ex dominio suo exire contingeret et oporteret, extunc libere, secure et confidenter venire valeat ad nos et ad domos, castra, oppida, possessiones ac tenuta nostras et ad regnum nostrum et ibidem, ubicunque maluerit, iuste, fraternaliter et amicabiliter commorans, providere et disponere poterit de factis suis, quamdiu autem ubicunque in regno nostro, et tenutis nostris morem duxerit, divino et nostro ac nostrorum auxilio et tuitione custoditus erit ab omnibus inimicis, et sibi adversantibus, tam in persona propria, quam familiares ac singula bona, resque et camera sua ac totum quidquid eo tempore sibi Deus possidendum concesserit et habendum. In maius autem robur et signum huiusmodi amicitiae ex singulari nostra benevolentia promittimus, quod ultra et praeter illud subsidium, cuius pro occurrenti opportunitate dicto Domino Johanni Waivodae, modo quo supra nos debitorem fecimus, ex speciali dilectione eidem Domino Joanni

Waivodae tamquam fratri et amico nostro pro personâ sua singulis annis affuturis singulariter tria millia florenorum auri ---- dare, solvere et administrare, in aliisque eidem nostram benevolentiam in facto ostendere, prout eidem commodum fuerit et opportunum. Quae omnia suprascripta promittimus sub fide christiana et in verbo nostro regio inviolabiliter in forma praemissa observare, harum nostrarum vigore, quibus sigillum nostrum, quo utimur, appensum est et testimonio literarum mediante. Datum in castro nostro Bobowatz feria quarta proxima post festum Penthecostes. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.

Ex autographo Onolbachensi. Spiesz Aufklärungen in der Geschichte und Diplomatik. Anhang Nr. III.

XVIII.

Idem Vaivoda a Georgio Serviae Despoto, per se in regnum reposito, possessionibus donatur. An. 1444.

Capitulum Ecclesiae Orodiensis. Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris praesentium notitiam habituris, salutem in salutis largitore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire. Quod Illustres Principes Dominus Georgius, regni Rasciae Despotus, et Dominus Albaniae ac Domina Elena consors, nec non Lazarus filius eiusdem personaliter onera et gravamina Gregorii et Stelpan filiorum, nec non illustrium principum Dominarum Katharina, consortis illustris principis Domini Vlrici, Ciliae, Zagoriaeque Comitis, et Maria vocatarum, filiarum scilicet praefati Georgii Despoti ex eadem Domina Elena procreatorum, fratrum puta et sororum praelibati Lazari carnalium, nec non

Hermanni filii ac puellae Elisabeth vocatae, filiae praetitulati Vlrici Comitis, nepotes videlicet antetitulati Georgii Despoti et Dominae Elenae, nec non aliorum universorum, quos infrascriptum negocium tangere dignoscitur, per se et singillatim super ipsos et cunctas ipsorum haereditates, scilicet regna, castra, castella, oppida, villas, tenutas et possessiones ipsorum tam in hoc regno Hungariae, quam alias ubivis habita et existentia assummentes, coram nobis constituti sunt confessi in hunc modum. Quod licet valida potentia saevissimorum Turcorum orthodoxae fidei persecutorum praedicta regna sua Albaniam scilicet, a diuturnis temporibus, Rasciam vero post quatuor annos proxime elapsos usurpando occupaverit et ab ipsis alienaverit, magnamque partem regni Hungariae devastaverit, homines utriusque sexus iugo perpetuae servitutis abducendo; tamen quia altissimi creatoris auxilio occurrente magnificus Johannes de Hunyad Waivoda Transilvanus praedictam validam potentiam dictorum saevissimorum Turcorum primo in eisdem partibus Transilvanis Mysithbeg capitaneum ipsius potentiae Turcorum cum aliis multis Waivodis, qui ipsas partes Transilvanas, secundo vero in partibus Transalpinis Basam, Vice-Imperatorem Turcorum, qui ipsas partes Transalpinas cum magna potentia subintrassent, debellasset, triumphum victoriae reportando, tertio quoque regnum Bulgariae per ipsos perfidos Turcos a multis temporibus occupatum et tentum subintrando, ibique pluribus paganis interfectis, multisque incendiis et combustionibus perpetratis, capta praeda, quam plures homines incolas, utriusque sexus, alias per ipsos paganos abductos liberando, secum reduxisset, et tandem ipse Joannes Waivoda sua bona opera aug-

mentare non renuens, pro defensione praedicti regni Hungariae et catholicae fidei a supremo Jhesu in potestate ac recuperatione praedictorum regnorum Rasciae scilicet et Albaniae in anno proxime transacto cum valido exercitu et potentia Hungaricali, de suis propriis sumtibus et thesauro fere ad triginta duo milia flor. auri extendentibus, demptis auxiliis et sumptibus alienis, se approppuando contra ipsos perfidos Turcos ad regna eorum una cum ipso scilicet Despoto perrexisset, ubi pluribus potentiis ipsorum Turcorum debellatis, tenutisque eorum desolatis et spoliatis, optata victoria redeundo, ipsum regnum Rasciae pro maiori parte eisdem videlicet Domino Despoto et Lazaro restaurasset et recuperasset, demum vero anno in praesenti ipse Johannes Waivoda bona bonis accumulare cupiens, similiter magnum exercitum et potentiam Hungarorum cum propriis expensis, puta sexaginta tribus milibus florenorum auri absque auxilio et thesauro aliorum in subsidium eiusdem assignatis levando pro defensione eiusdem regni Hungariae ac fidei christianitatis, nec non totali recuperatione praedictorum regnorum Rasciae et Albaniae, in quorum reoptentione divina annuente clementia spes indubia creditur, contra predictos perfidos Turcos, crucis Christi persecutores, ad regna eorum se decrevisset profecturum. Ideo ipsi scilicet Dominus Georgius Despotus ac Domina Elena consors, et Lazarus filius eiusdem volentes ipsum Joannem Waivodam pro tantis et maximis laboribus, favoribus, expensis et beneficiis, servitiis eiusdem per ipsum huic regno Hungariae et catholicae fidei et toti christianitati, nec non eisdem scilicet Domino Despoto et consorti et filio eiusdem, modo praemisso factis, consumtis, impen-

sis et exhibitis, aliquo dono, licet idem plura et multo meliora mereretur, praemiare, castrum eorum Vilagosvár vocatum cum oppidis Syri et Galsa, Mezth, Keresbánya, alio nomine Cybebánya, Kisbánya, alio nomine Medwepataka, item districtibus Kaladwa, Aramyag, Kapolna, Chwch, Feyerkeres, Halmagh, Ribiche, ac possessionibus et villis, item nobilibus ungaris et walachis castrensibus, semper et ab antiquo ad ipsum castrum spectantibus sic, quod eisdem, in eorum nobilitate, iuribus et libertatibus per divos reges ipsis concessis, permanentibus nec non urburis in Nagybánya et Kisbánya praedictis ac alias ubivis habitis ad praedictum castrum pertinentibus, in Comit. de Zarand et Orodiensi existentibus habitum simul cum iure patronatus ecclesiarum parochialium in Syri, Galza, Mezth, Keresbanya, Kisbanya, ac cunctarum aliarum ecclesiarum et capellarum tam christianorum quam walachorum, ubivis in pertinentiis dicti castri habitarum, item nundinis et foris hebdomadalibus in praefatis Syri, Galsa, et Keresbanya, celebrare solitis ac cunctis utilitatibus et pertinentiis ipsorum et earumdem universis scilicet terris arabilibus, cultis et incultis, campis, pascuis, silvis, nemoribus, rubetis, pratis, foenetis, aquis, aquarumque decursibus, piscinis, piscaturis, promontoriis, vineis, vinetis, rippis, quovis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis limitibus, quibus idem castrum et oppida, possessiones, villae et districtus tenta fuissent et possessae, praelibato Johanni de Hunyad, Waivodae Transilvano, ac per eum Ladislao et Mathiae filiis eiusdem, eorumque haeredibus et posteritatibus universis dedissent, donassent, perpetuassent et assignassent, imo dederunt, donarunt, perpetuarunt et assignarunt coram

nobis, in sempiternum possidere, tenere, periter et habere; nullum ius, nullamve iuris proprietatem, quid et quam in eisdem castro, oppidis, possessionibus, villis ac districtibus et earum pertinentiis habuissent et haberent, ac quoquomodo habere sperarent, penitus et per omnia in ipsos Joannem Vaivodam ac Ladislaum et Mathiam filios eiusdem, nec non cunctos ipsorum haeredes, in pacifico dominio praedictorum castri Világosvár ac oppidorum, possessionum, villarum, districtuum et quarumlibet utilitatum ac pertinentiarum earumdem contra quoslibet impetitores, causidicos, actores, intra ex extra iudicium protegere, tueri et defensare propriis eorum laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes litteras nostras privilegiales pendentis sigilli nostri appensione roboratas duximus concedendas. Datum per manus Magistri Georgii Lectoris et Concanonici nostri, feria sexta proxima post festum visitationis B. Mariae Virginis anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, praesentibus ibidem honorabilibus Dominis Mathia Cantore, Stephano Custode, Magistris Johanne de Zechen, Barnaba Ladislao et Martino, caeterisque Canonicis, fratribus nostris in Dei Ecclesia regi sempiterno iugiter famulantibus.

Idem Nr. IV.

XIX.

Idem Vaivoda partis regni Hungariae Gubernator, sinistrum praelii ad Varnam exitum insinuat Eugenio IV. PP. ac subsidia exposcit. An. 1445.

Beatissime Pater ac Sanctissime Domine, Postquam in rebus his versari coepi, quas adversum fidei

ac patrios hostes bello, armisque persequutus sum; saepe numero mihi suasum reminiscor, ut sicuti foris, ita et interno statu regni huius partes operamque impenderem. Id quamvis iusta ratione non caruerit, commodius tamen semper ratus sum, hoc negocio me solutum esse, idque operis aliis dominis baronibus et magnatibus agendum relinquere; mihi autem reservare hoc potissimum, quod semper in votis ardens contuli, ut adversus hos perpetuos nobis et crucis Christi aemulos vires, laboremque expenderem. Habui ad hoc ex pluribus magnatibus socios, quorum opitulamine, datam sequutus fortunam institi, laboravi et conatus sum, ut cupiti exitus desiderio succedentem aequarem operam. Nihilominus, quantum ad has terras, gubernationi nacae creditas, etiam hucusque Domino volente, tali diligentia usus sum, ut ab internis quoque dissensionibus saluae, illaeseque manerent. Et hoc quidem hactenus. Nunc vero, quum post hunc novissimum conflictum (ad Varnam), quem maiori defectu, quam priores transegimus, vires reassumere operae pretium habeam, magis ac magis eniti studui, ut partium harum et integrare pacem et conservare valeam integratam, quatenus domestica quiete fortior, ad externa pariter propulsanda expeditior existerem. — Verum unum mihi impedimentum imminebat in re ista, cui etiam sub sanctitatis vestrae fiducia obviare disposui. Res ita se habebat (Joanne de Dominis Episcopo Varadinensi praelio ad Varnam hausto, Joannem de Zredna, alias Vitézium nomine, qui ab epistolis sibi fuerat, sedi vacanti praefici supplicat.) — Data XVIII. die mensis Aprilis. Anno Domini Millesimo CCCC. XLV.

Apud Schwandtner Tom. II. p. 27. Paulus Ivanichius, scriptor synchronus, epistolarum Joannis de Hunyad collector, ad hanc adaptavit (l. c.) „Tunc dum hae litterae scribebantur, Joannes Waivoda non erat Gubernator generalis, sed istae partes, ex hac parte Ticiae, versus Varadinum, erant suae gubernationi commissae, in congregatione generali, quae in Albaregali anno Dom. 1445. circa festum B. Dorotheae habita fuit.

XX.

Idem Vaivoda a Francorum Rege literis percolitur. A. 1445.

Caro et dilectissimo amico suo Joanni Hunyad, Vaivodae Transilvaniae, Themesiensi Comiti, nec non duci et capitaneo generali militiae exercitus armorum incliti Hungarorum Regni Carolus, Dei gratia rex Francorum. Charissime ac dilectissime amice. Vestrae benevolentiae literas per Vincentium de Bala, de Bathia militem, cancellarium vestrum et nuncium benigne recepimus, ac eius credentia luculenter explicata, regni Hungariae turbationibus et afflictionibus per inimicos Christi ingruentibus, intime condoluimus, virtutem vestram in eiusdem defensione, fideique christianae propugnatione laude dignissimam extollentes. Desiderabilius autem quicquam a divina clementia consequi nequiremus, quam contra orthodoxam religionem infestantes, in finibus regni praedicti maxime, cui naturaliter afficimur, progenitorum nostrorum more, nostras et militiae nostrae vires experiri. Sed — proh dolor! si firma pace non sopiatur finienda breviter cum hostibus nostris antiquis inita treuga; bellum ingruens nos non sinit bellatores nostros alibi divertere. Qua propter non possumus vestris precibus super regni praefati succursu pro nunc intendere. Si tamen, ut speramus,

divina favente gratia, pacem cum ipsis hostibus nostris firmemus, fiduciam habete, quod ad regni praedicti Hungariae succursum pro viribus intendimus, quemadmodum praelibatus miles vester et nuncius super his et aliis, nobis intimatis, nostram latius intentionem reserabit. Datum Caynone, anno Domini MCDXLV."

Apud Dacherium Spicileg. Tom. III. pag. 787. Suppetiis his destitutus, Romani Pontificis subsidia iteratim sollicitavit epistolis apud Schwantner Tom. II. pag. 20.; item initio anni 1446. p. 21. 30. 31.

XXI.

Joannis de Hunyad virtus et character militaris, una rei praelio ad Varnam gestae series, sinistri exitus causae ac subsidiorum petitio. An. 1445.

Beatissime Pater et Sanctissime Domine. Communem casum communi voto relevandum, etsi persuadens apud Sanctitatem vestram locum non habuerim, litteris tamen supplex et benefidens nuper admonui, simul paucis expedivi ea vice, quid, quantumve senserim de conflictu novissimo, in quo fortunam magis, quam vires nobis interruptas sustulimus; id et nunc mihi cordi est et pro lucidiori avisamento repetam pauca, praesertim quod videam, contra hostes pugnasse hactenus, deinceps contra pericula fidei, bello mihi opus esse, et quidem iudicia Dei iustissima ferre, quis nesciat? eaque rebellibus lachrimis exprobrare iniuria sit. Dum tamen naturam bellorum, in quibus a prima ferme aetate versatus sum, mecum ipse agens reputo, facile invenio fateor communem hanc fuisse semper bellantium rotam, ut iuxta superni Spectatoris nutum,

modo prosperis interdum contrariis revolvatur eventibus; iudicet autem, oro, Deus ipse eorum partem, e quibus tanta christianum populum circumvenit illusio. Multi etenim circumvicini Principes, puta, utriusque Valachiae, item de Bulgaria nonnulli, caeterum de Albania quam plures, ac de Constantinopoli, plurima unde quaque armorum pollicebantur subsidia, invitabantque nos pennatis, ut aiunt, advolare pedibus, caetera omnia ibidem provisa esse. Paruimus tandem, tanta solicitati fiducia, movimus castra, fines hostium transegimus, restabat id solum, ut promissa opperiremur auxilia, ubi pendente spe, dietenus magis ac magis introrsum progredi visum fuit. Paruerant hoc medio nonnulla castra manibus nostris, caetera autem ferro, incursuque expugnavimus; dum ecce omnium quasi frustrati auxilio et omni provisione vacui vidimus insperatam rerum faciem; vidimus quoque supratactorum Principum in hac re optima pessimam nobis plecti amicitiam, vidimus denique pollicita nobis subsidia, e regione in insidias convolasse: quo pacto dum propriam domi negleximus, male militia armati fuimus aliena. Verum paulo ante multis evectis spoliis, multis illatis caedibus ac damnis irrogatis, poteramus illaesi fere hostium declinare congressum, sed puduit incepti, pro Christo propositi, quominus illud prosequeremur negocium, in quo et vinci et vincere aeque credidimus non inglorium. Itaque occupat mox opportunitatem pia temeritas, et ad subeunda pericula e vestigio proni exsurgimus. Fiunt utrinque congressus impares numero, sed fortes, pugnatur ad lucis vesperam occiditque sol pariter et bellum. Attamen inefficacem nobis pugnam reddidit, recens continue multitudo irrumpens, qua non victi tantum, quan-

tum obruti, disiunctique hinc inde abscessimus. — Verum id et oculis tunc et plurimis ex post documentis cognovimus, haud pauciora reddidisse nos hostibus vulnera, quam accepisse, lugubrisque admodum et cruentae victoriae reliquisse vestigia. Nihilominus et nos lamentari dignum est altis suspiriis, super capitum nostrorum dolendis vulneribus, utpote Regis ac Principis nostri clarissimi, item venerandi toti mundo patris, Domini Juliani Legati, quorum solidae virtutis digna auctoritas salutem huius populi propriis humeris gestare videbatur. Sed cum suasum mihi saepius reminiscor, nihil magni in bello sine periculo confici posse, iterum habeat nutans fortuna regressum, dolor ipse incitabit audaciam ad futura, quamquam et id, quod nunc accidit, neque malitia nostra, neque Teucrorum virtus effecerit, dum pene vacue facto viris et armis campo non hostilis militiae, sed iudicii divini plagam retulimus, nostrisque peccatis barbari tunc mansere fortiores. Recognoscentes igitur culparum potius pondera, quam vulnerum, spem firmam induximus animo ut idem ipse, qui plagam peccatis ultor intulit, conferet sperantibus miserator et medelam, movebitque mentem Sanctitatis Vestrae, ut christiani sui populi non fractum adhuc, sed inclinatum, robur erigere quam celerius patrocinetur. Ad quod quidem et ego nunc, sicut et prius astiti, quo paucis admonerem sponte, ut credo, volentem. Non dubitans facile apud Sanctitatem vestram persuasum iri rem et utilitate et iusta conditione plenam. Patienter autem exoro me perpeti apud vultus beatitudinis vestrae, quod importunior fortasse aut porrectiori, quam expediat, fronte Sanctitatem vestram inquietandam aggredior, cum a diu mihi in votis situm fue-

rit, in re ista non modo faciem pudoris, sed et animam mortis contemtricem assumere. Itaque fiducia plenus hortor, advoco, moneo, flagito et humiliter deprecor excelsam sanctitatis vestrae dignitatem, quam divina providentia haud minus usui, quam regimini praetulit populo christiano, quatenus donec pendet spes, donec fiducia geritur et ingeritur, exurgat denuo pater ad persecutionem coepti pro filiis negotii, ferat opem et operam necessitati expugnandae, idem dux, dux salutis et comes, idem suorum rector et ultor; assistat huic lapsui, qui casui proximus est. Hostis ipse multis copiis plenus exstat, finitimos omnes aequali fulmine quatit, demtis, quorum potentiae non parcit interdum, sed cedit. Sed cum sciam fidei et fidelis populi rem agi, miserebitur populo suo Deus noster, tali Duce, tali auctore, tali denique propugnatore praevio. Solum reincepto esse opus arbitror, ne, si fidelium propagare fines neglexerimus, perferre contingat propagatorem. Offerre autem me ad hoc opus verbis non opportunum putavi, quoniam videbit et putabit beatitudo vestra paratiorem me futurum deinceps, animo et opere, quam sermone; propositum denique mihi firmum esse, in hoc exercitio et vitam pariter et mortem contemnere. Imo utinam posse et velle in aequo situm foret, quieto hoc labore assidue recrearet et nusquam viribus alacritatem paterer tardiorem. Nihilominus enitar viribus, quamdiu spiritus hos regit artus, et quotidiano usu adhuc peritiam alere institui, nec cessabo mea sponte, si gratia superna affuerit, donec et damna patriae detergam et probra. Haec scribere volui, urgente me affectu meo, exorans humiliter, ne temeritatis arguar. Verum, ut prioribus litteris pollicitus sum, nisi cum praesen-

tibus honorabilem Blasium, Canonicum Varadiensis Ecclesiae, Capellanum et Notarium meum, qui tam de actibus his, quos supra tetigi, nam eisdem personaliter interfuit, quam etiam de ampliori voto et intentione mea beatitatem vestram viva voce avisatam reddet. Quem suscipi et exaudiri, ac tandem votive expediri humiliter supplico et devote. Conservet altissimus sanctitatem vestram feliciter. Data in Pesth die XI. Mensis Maii Anno Domini MCCCCXLV.

Joan. de Zredna. Script. Rer. Hung. Tom. II. epistola I. — Dedit has ad Eugenium IV. PP. litteras e Comitiis Pestini celebratis, in quibus Ladislaus Posthumus, technis Laurentii de Hederwara, Palatini, haud obstantibus, communi voto Rex agnitus, postulatusque fuit; legatis ad Fridericum Imperatorem destinatis. Aeneas Sylvius epistola LXXXI. — Ex iisdem scripserat etiam ad Carolum, Francorum regem, suppetiarum gratia, ut huius responsoriae docent. —

XXII.

Johannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae, ut Ladislaus Posthumus a Friderico R. H. cum corona regno restituendus, rex agnoscatur, in Comitiis Pesth agit. 1445.

Nos universi Praelati, Barones, Milites, Nobiles, Civitatenses, regnicolaeque regni Hungariae, in praesenti generali congregatione Pestiensi pro reformanda pace et reipublicae utilitate eiusdem regni insimul congregati, praesentium serie ad universorum volumus notitiam devenire. Quod cum occulto Dei iudicio regnum hoc Hungariae, quod Christi fidelium propugnaculum existit, ex sua intrinseca divisione et guerrarum intestina concitatione his temporibus coepisset fluctuare, et in casus periculosissimos

proh dolor! devenire ita, quod patrimonium Jesu Christi ecclesiae videlicet et ecclesiarum Praelati et Barones, una cum nobilibus utriusque sexus et incolis ipsius regni nostri per paganos, aliasque circumiacentium regnorum nationes, sed et per intraneos inquietos malefactores in omnium facultatum suarum invasione et devastatione praedae continuae, incendiorum et aliorum maleficiorum commissione, tantam passi fuere oppressionem et damnificationem, quod nisi altissimi Dei gratia celeris provisionis remedio, humanis etiam sollicitationibus occurrentibus fuerit opportune provisum, regnum hoc ad extremam devenire cernebatur periclitationem, maxime considerato casu illo magis periculosiori, qui Dei ex permissione regiae Maiestati anno proxime elapso ex causa fidei et christianae defensionis cum regnicolis contra paganos, Turcos videlicet istius regni nostri attrocissimos et infestissimos aemulos, usque ad fines regni Bulgariae, penes nigrum mare proficiscenti et conflictum cum paganis ipsis facienti, taliter acciderit, quod usque ad VII. (V.) mensem conflictus sui, nulla de eius reditu haberi potuit certitudo; ne tamen per huiusmodi divisionem nostram et intestinam guerram maiora pericula et graviora mala nobis et ipsi regno per eiusdem annihilationem subsequi contingat, inter nos variis hinc inde habitis tractatibus, respectibusque et difficultatibus ad talem devenimus concordiae unionem. Quod si supra dicta regia Maiestas usque octavum diem sanctae Trinitatis proxime venturum non redierit aut de vita sua per nostrum nuncium ea de causa nunc ad Poloniam transmissum, plena et indubitata certitudo reportata non fuerit, extunc omnes universaliter illustrissimum Principem Dominum Ladislaum natum

condam Domini nostri Alberti regis Hungariae, si et in casu, quo nobis eumdem cum sacra regni Hungariae corona, restituere et in medium nostri Dominus Rex Romanorum, in cuius manibus nunc consistunt, dare voluerit, dederitque et de facto assignaverit, in verum et legitimum regem Hungariae et Dominum nostrum assumemus et pro rege habebimus et tenebimus, vita semper sibi comite in futurum. Casu autem, quo eorumdem restitutio et in medium nostri assignatio nobis fuerit recusata, in nullo sibi scilicet Ladislao Principi volumus esse obligati; quin imo huius regni moderno statu et necessitate requirente providebimus de Rege et Principe, cuius sub regimine ipsum regnum a suis periculis et oppressionibus valeat opportune liberari, et in statu tranquillo et pacifico permanere. Et ut huiusmodi dissensionis et divisionis nostrae multiplicata materia sopiatur, malaque praedicta in antea non committantur et pax pristina reformetur, subscriptas dispoistiones effective observandas in hac generali nostra congregatione duximus proinde ordinandum. Articulus I. Terminus pro restituendis bonis occupatis praefigitur. II. Donationum per reginam Elisabeth et Wladislaum Polonum factarum vigor usque ad tempus coronationis novi regis suspenditur. III. Cursus causarum maioris potentiae, praeter exceptos casus, ad idem tempus differtur. IV. Praefigitur terminus, inter quem erecta sub disturbiis fortalitia, praeter nominatim excepta, demoliri debeant. V. Poena in contravenientes statuitur, (qui eam in respectivis districtibus exequi debeant, nominantur (Nicolaus, Vaivoda de Ujlak, D. Joannes (de Hunyad) Vaivoda, Georgius de Rozgon, Johannes Giskra, Comes de Sáros, Emericus de Pelsewcz, Michael Országh et

Pangratius de S. Nicolao.) VI. Lata superiore anno iudicia stabiliuntur. VII. Poena statuitur in defraudatores aerarii publici, uti et excessuosos exercituantes. VIII. Monetae cusio usque subsecuturam novi regis ordinationem suspenditur. IX. Interea proventus regales et reginales pro fisco reservantur. — X. Contractus, per quos aliqui pro sui ex hostili captivitate eliberatione bona sua obligarunt, irritantur. XI. Poena in eos, qui spolia et depraedationes exercuerint. XII. Poena in eos, qui post convocationem praesentis diaetae spolia eiusmodi commiserint. XIII. In casum imminentis cum exercitu Imperatoris Turcorum belli generalis insurrectio decernitur. XIV. Beneficia ecclesiastica, e manibus laicorum recepta, domesticis ecclesiasticis, Abbatiae vero respectivi ordinis religiosis conferantur. XV. Sculpatur sigillum regni et hoc usque coronationem regis litterae iudiciales signentur. XVI. Nemini liceat in prima instantia ad curiam romanam recurrere. XVII. Telonia post mortem Alberti regis erecta abolentur. XVIII. Mercatoribus salvus conductus conceditur. — XIX. Poena in eos, qui post conventionem praesentis diaetae exteros fortalitiis suis induxerint et per eos spolia patraverint. XX. Poena in exercituantes, qui victualia extorserint. XXI. In casum decretae insurrectionis etiam banderiati banderia sua levare teneantur. XXII. Concessa a Sigismundo colonis migrandi libertas renovatur. XXIII. Motae de commissis, sub praeteritis disturbiis, criminibus causae in primis octavis terminentur. Vt autem haec omnia et quaevis praemissorum singula debitam efficaciam et robur obtineant firmitatis, ab omnibusque et singulis effective observentur, Nos Praelati, Barones, Nobiles, Proceres, Civitatenses, et incolae regni huius Hun-

gariae praedicti, singuli singulariter et universi universaliter promittimus fide nostra christiana mediante, inviolabiliter observare et toto posse nostro facere observari. Harum literarum nostrarum, quibus unius cuiuscunque sigilla nostrum appendi fecimus, vigore et testimonio mediante. Datum et actum in civitate Pestiensi, secunda die festi Ascensionis Domini, quae fuit septima Maii. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto. L. SS.

Ex archivo regnicolari. Kovachich Georgius Supplem. Com. Tom. II. p. 9 sqq. Ad hanc diaetam Fridericus etiam suos ut partes Ladislai Posthumi tueantur, concurrere iussit, ut e litteris ad civitatem Kesmark datis, constat, e MSS. Cornidesianis Katona Hist. Crit. Tom. XIII. p. 415. — Meminit illius etiam Dlugossus L. XIII. col. 4. „Placuit tandem conventum haberi in Pest, illucque — convenientes — Ladislaum, Alberti filium in regem eligunt, Vicarios regni ordinant, decretaque pro communi patefaciunt, Oratores nominant, qui ad Fridericum Romanorum regem, petituri puerum Ladislaum et coronam materialem, eant."

XXIII.

Idem Vaivoda una regni Hungariae Vicarius. An. 1446.

Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvanus, Banus Zeveriensis, Capitaneusque castri Nandor — Albensis et huius Hungariae Regni Vicarius (Jacobo Krafft, civi Leutschoviensi, omnes haereditates et bona a Joanne Krafft cive Rivuli Dominarum testamento legata, tanquam legitimo per uxorem Agnetem, dicti Joannis Crafft sororem haeredi confirmat.)

Datum in civitate Rivulo Dominarum die Sabbathi post octavas Epiphaniarum Domini. Anno eiusdem MCDXLVI.

Ex autographo St. Kaprinai Hung. Dipl. P. I. p. 95.

XXIV.

Joannes de Hunyad Vaivoda unanimi voto Gubernator regni Hungariae, designata potestate, electus. An. 1446.

Johannes de Hunyad pro illustrissimo infante Ladislao, nato condam Alberti regis, electo, regni Hungariae Gubernator generalis et Vaivoda Transilvanus, notum facimus — quod cum universitas DD. Praelatorum, Baronum et Nobilium ac aliorum singulorum possessionatorum hominum huius regni Hungariae iuxta dispositionem et ordinationem eorumdem, nuper in civitate Alba Regali factam, in hanc praesentem sollemnem congregationem amplissime coadunata, eas res, modosque, quibus divina gratia suffragante tot diebus, totque annorum curriculis alternis insidiis et mutuis persecutionibus acerrimis, contra sese fine dato pacem reformare et caritative sibi invicem commorari possent, avidissime exquirere coepissent; tandem post multos habitos labores partibus ad tam salubre, necessariumque opus, non sine divinae miserationis gratia inter se unitis, pari consensu ad articulos infrascriptos observandos concordarunt. Art. I. Quod eligent et deputabunt unum gubernatorem (reliquos vide in corpore Juris Hung. Tom. I.). Quibus quidem articulis modo praemisso invectis et confectis, ad contentaque eorumdem observanda singulis singulariter, tam scilicet maioribus quam minoribus in forma, ad haec ordinata, iuratis, unanimi et pari omnium

voto et consensu, nos, licet immeritos, ad onus huiusmodi gubernationis elegerunt, idemque humeris nostris imposuerunt exercendum; quumque, quamvis inuiti, iuramento tamen modo, quo supra, praestito adstricti, effugere non valentes, iuxta vires nostras paratum serviendi animum obtulissemus, sicut ipsis dominis praelatis et baronibus placuit, voluimus, ut limitatam habuissemus viam et modum, quibus et officium gubernationis huiusmodi et debitam eiusdem regnique huius tuitionem exerceremus et etiam non excederemus modum quo vel in minimo contra praestitum iuramentum laxasse manum cerneremur. Ea propter iidem domini praelati, barones et nobiles universi, post maturam eorum superinde factam deliberationem, articulos infrascriptos, limitationem petitam in se continentes, nobis praesentarunt, harum seriem verbalem continentes (v. in corpore Juris). Nos igitur huiusmodi potestatis nostrae gubernationis limitationem, ab eisdem dominis praelatis, baronibus et nobilibus regni modo praemisso articulatam recipientes, iuxta eandem obtulimus eisdem omnem diligentiam, sollicitudinem et curam nostram, facereque et exercere, officium gubernationis huiusmodi melius, ut possimus. Atque sicut iuramento, modo, quo supra, promisimus limitationem et articulos suprascriptos, in nullo excedere velle. In quorum testimonium praesentes litteras nostras eisdem dominis praelatis, baronibus et nobilibus regni universis, sigillo nostro quo, ut vaivoda Transilvaniae utimur, impendenti communitas, duximus concedendas. Datum in amplissima praelatorum, baronum et regnicolarum congregatione generali in campo pestiensi feria secunda infra octavas

Pentecostes Anno Dom. Millesimo quadringentesimo quadragessimo sexto.

E MSS. Corvides.

XXV.

Potestas Joanni de Hunyad Gubernatori delata. An. 1446.

Gubernator eligendus habebit tantam auctoritatem, quam haberet regia Maiestas, demto, quod donationes perpetuales possessionum facere non possit, ultra limitationem infrascriptam. — Nec etiam quempiam sine scitu, consilioque et requisitione regnicolarum, nota infidelitatis proscribere, nec etiam infidelibus, ratione transgressionis statuti, in praesenti congregatione fiendi, notam infidelitatis incurrentibus, quibuscunque infidelibus, similiter sine requisitione Praelatorum, Baronum et Nobilium gratiam facere queat. Sed nec archiepiscopatus, episcopatus et abbatias maiores, absque scitu et collaudatione consiliariorum suorum conferre valeat. Item: Gubernator manebit, ubicunque voluerit, in castris, civitatibus et oppidis regalibus aut reginalibus, omniaque castra, civitates, oppida et quaecnnque tenutae regales aut reginales sibi, dum et quandocunque et quotiescunque voluerit, liberum praestent ingressum stabuntque cum eodem tempore celebrationis iudiciorum octavalium duo Praelati Ecclesiastici et alii duo Barones saeculares, una cum Palatino et Judice Curiae ac sex Nobiles ad id deputanti. Medio autem tempore unus Praelatus et unus Baro et duo Nobiles manebunt cum eodem, cum quibus querelas et necessitates audiet regnicolarum, quorumque consilio eisdem faciet relationem. Vltra autem hos consiliarios de Praelatis, Baronibus, Militibus et Nobilibus,

huius regni incolis, tot et tantos, quot et quanti sibi necessarii fore videbuntur, pro et penes se conservare, consiliumque requirere ab eisdem possit. Item, de proventibus regalibus, quibus ipse Gubernator ac sui Consiliarii utantur, et de dispositione ipsis fienda committitur iudicio Dominorum Praelatorum et Baronum, quibus de qualitate proventuum regalium plenior constat certitudo. Item Gubernator ipse proficisci debebit et exercituare, dum necesse fuerit, exigente magnitudine rei, per se contra hostes. Item ipse Dominus Gubernator his, qui fideliter sacrae regni coronae servierunt de illis possessionibus, quae deinceps ad sacram coronam pure, legitimeque sine cuiuspiam alterius iure per defectum seminis, item propter delationem falsarum literarum, propter cusionem falsarum monetarum et fabricationem falsi sigilli, nec non propter inductionem externae potentiae in hoc regnum, ac positionem ignis in eandem fuerint devolutae, in quibus scilicet possessionibus triginta duae sessiones et non plures fuerint vel fieri poterunt, facere valeat donationes. Si vero civitates, oppida et possessiones ultra numerum praescriptum triginta duarum possossionum, etiam praescriptis modis, ad sacram coronam fuerint devolutae, illas partiri seu dividere in triginta duas possessiones non valeat, et sub nomine triginta duarum possessionum de illis facere cuipiam donationem, sed huiusmodi omnes civitates et oppida, et possessiones indivisae, ipsi sacrae coronae reserventur. Item Dominus Gubernator, si cui donationem praemisso modo semel fecerit, amplius eidem donare non valeat. Et cum donationes castrorum, civitatum, oppidorum ac possessionum, et similium ad ius regium spectare dignoscantur; igitur ipse Dominus Gu-

bernator quibuscunque donatione praemisso modo fecerit, illi tempore suo teneantur accedere ad Dominum Regem pro eorum confirmatione. Item possessiones illorum quorum propter delationem falsarum litterarum, aut cusionem falsarum monetarum, vel alio quovis modo superius expressato, ad coronam fuerint devolutae, quousque illi per iudices suos competentes iudicialiter, secundum antiquam et approbatam regni consuetudinem, sententiati fuerint, occupare et donationem facere, non valeat quovis modo. Item valeat in absentia consiliariorum facere relationem et expeditionem in occurrentibus causis. Quae si iudiciariae fuerint, et huiusmodi relatio inventa fuerit contra ius consuetudinarium huiusmodi relatio et expeditio, per iudices ordinarios regni valeat emendari, prout temporibus regum fieri consuevit. Item, siquid de proventibus regalibus ab expeditionibus regni remanserit, valeat Dom. Gubernator castra, civitates, oppida et possessiones regias impignoratas, nomine regio redimere de eisdem et ea coronae appropriando, Domino regi reservare, quorum proventus similiter pro expeditione regni exponantur. Datum ut supra.

Indidem.

XXVI.

Idem Joannes Regni Hungariae Gubernator. An. 1446.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, Vaivoda Transilvaniae etc., consideratis et in memoriam revocatis multimodis fidelitatibus et fidelium servitiorum gratuitis meritis, sinceris complacentiis atque virtuosis gestis, Nobilium Daan, filii quondam Jariszlo de Chionakos, nec non Vojk, ac

Petri et Joannis, filii dicti quondam Jariszlo, possessionem Chionakos, in cuius dominio praefatus Daan hucusque more Keneziatus perstitisset, cum omni iure regio iisdem donat. Datum Temesvár in festo Ascensionis Dom., Anno eiusdem MCDXLVI.

Apud Benkő Hist. Trans. Tom. I. p. 566.

XXVII.

Friderico Imperatori iniuriarum illatarum rationem reddit. An. 1446.

Serenissime Princeps! Dum his diebus litterae Maiestatis vestrae in hac conventione generali legerentur, placuit communi deliberatione, ut super his, quae ad partem meam obiiciebantur, sicuti coram vocabiliter, sic apud Maiestatem vestram praesentibus scriptis rationem reddere non postponerem. Scribit itaque serenitas vestra, qualiter ego nuper, dum apud terras Comitum Ciliae exercitualiter progrederer, nulla diffidatione praemissa, imo contra propria mea pacifica scripta, in quibus Maiestati vestrae servitia mea pollicitus fueram, ducatui Stiriae plurima damna et nocumenta intulerim etc. Placuit, serenissime Princeps, audire, ista quo animo serenitas vestra ponderaverit, ut locus apertior daretur rescribendi, quo rem et casum hunc nude expedire, vis, iusque adesset. Igitur dum post multiplices in terra, coeloque crudeles et inhumanas iniurias susceptas, nuper Domini Barones huius regni provocata arma adversus praetactos Comites Ciliae movere decrevissent; ego tamquam capitaneus, in id opus deputatus fui, nusquam fateor, illa intentione, ut vel contra Maiestatem vestram vel subditos seu terras eiusdem diffidationem vel guerram commoverem,

sed sicut scriptis expresseram, ita et mente gerebam servitia potius mea, quam offensionem Maiestati vestrae semper inferre. Vnde et illa damna, quae hac vice terris et subditis serenitatis vestrae illata ferunntur, non meo certe studio, non intentione, non denique praeconcepta voluntate, sed illorum damnificatorum insperata et vehementi provocatione, id evenit. Ego enim illata mihi arma offendi prius, quam aliis intuli. Nam dum prope castrum Bortin (ad Petoviam) exercitualem descensum posuissem; revera omni nocendi intentione abiecta, per notabiles conmilitones ac nuncios meos castellano eiusdem castri, qui Frigk nominabatur, significari feci, nihil me nocendi animo acturum adversus Maiestatem vestram et subditos eius, sed alio iter meum et arma pariter destinata esse; et ob hoc eundem requiri iussi, ut pacificum progressum meum inimica resistentia non turbaret. Qui quidem audita intimatione mea, e vestigio turbidissima relatione ad se missos exasperans, petitis tribus millibus marcarum monetae, iter mihi et securitatem vendere proponebat. Sed cum non reperisset emtorem; mox cum armigeris suis hostili manu insperate exsiliens, provocavit contra se pacificorum arma; coëgitque me invitum, ut vi et ferro iter per circuitum aperirem. — Itidemque, dum versus civitates Pethoviae et Marpurg propinguarem, pacificum eisdem civitatibus, item capitaneo serenitatis vestrae in Grecz constituto, meum progressum annunciavi, nihilque inimica manu attentare velle adversus terras et subditos Maiestatis vestrae. At hi quoque similiter nunciatae paci adversariam manum opponentes, plurimos de exercitu meo, interdum sparsim sine timore repertos, trucidare et captivare, ac spoliare coeperunt. Prae-

terea apud vadum Dravae, praefatus Capitaneus de Grecz, cum suis equitibus et peditibus occurrens, transitum meum inhibere contendebat, quem cum declinare nequiverim, invitus pugnam institui. Inter quae impedimenta, adversitates et provocationes, nec quidem evitari potuit, quo minus damna aliqua, praesertim in his locis, quae mixta sunt tenutis praefatorum Comitum Ciliae, etiam subditis serenitatis vestrae inferrentur. Verum, sicut superius dixi, non id praecepta voluntate mea, nec de commissione praefatorum Dominorum Baronum nostrorum actum est, sed occasionibus praemissis, per quas omnino culpae dignus etiam, credo apud serenitatem vestram iudicari non merebor. Placeat igitur adhuc serinitati vestrae servitia mea non respuere et iustae in praemissis excusationi locum dare. Data in Pest in profesto SS. Trinitatis anno Domini MCCCCXLVI.

Apud Schwandtner p. 34. Occasionem perscripsit Bonfinius Dec. III. lib. VII. „Interim, ne qua Corvinae virtuti cessatio detur; nunciatur Vlricum Ciliae Comitem post Varnensem cladem nova moliri, et quadragesimae resipiscentiae tempore universam Croatiam, Sclavoniamque hostiliter infestare, multa in utraque provincia oppida occupasse, et ni provideatur, perbrevi totam Dalmatiam in Tyrannidem redacturum. Idem a patribus exoratur, ut post fusum Turcam in Vlricum arma deflectat. Corvinus ne interregni tempore Pannoniae res periclitarentur, haud mora praeter Dravum omnem ductis his copiis, quae ad hanc expeditionem sat esse viderentur, iter facit; super Petoviam, quae in Dravi ripa sita est, ascendit, ubi Ciliae Comitatus e conspectu fuerat; — ut in hostis con-

spectá fuit, proxima nocte tumescentem fluvium cum 4000 equitum natando traiecit, mox infestam Ciliae regionem incursat, vastat agros, vicos incendit, incauta nonnulla castella capit, tanta regionem trepidatione complevit, ut de publica deditione cogitaret Vlricus sero, repertinoque bello in suae temeritatis poenitentiam adductus, a Corvino pacem supplex postulavit, qua data se coronae Hungariae perpetuo pariturum esse pollicetur. Supplicem Corvinus Comitem ad regni, patrumque obsequium redactum, benigne tractavit. Quum regalia ad campum Rákos comitia propediem instarent, pacata provincia, relictaque ibi magna copiarum parte, ad indictum conventum proficiscitur."

XXVIII.

Joanni de Hunyad Gubernatori nervus rerum gerendarum commitialiter addicitur. An. 1446.

Praelati, Barones, Proceres et Nobiles regni Hungariae universi etc. Vniversis et singulis praelatis, baronibus, nobilibus et cuiusvis status, gradus et conditionis, possessionatis hominibus, item liberis civitatibus, tam regalibus quam reginalibus, in Comitatu Zabolch constitutis et existentibus, salutem et mutui amoris incrementum. Cum nos in praesenti congregatione nostra generali cum omnibus regnicolis varios labores et summam diligentiam adhibuerimus, quibus possemus modis viam et ordinem invenire, ut huius regni aemuli tam intranei, quam extranei, singulique pacificum statum ipsius regni turbantes reprimi possint, et inde excludi; itaque post varios tractatus hanc viam et ordinem aptiorem pro huius regni defensione et conservatione pacifici sta-

tus sui pari voto invenimus, et sine omni discrepantia in hoc resedimus, ut in toto hoc regno de singulis comitatibus, civitatibus, oppidis et villis, tam regalibus quam aliorum quorumcunque, qualiumcunque exemtionis titulo et gratia potiantur, ad instar lucri camerae super singulas quinque portas unus florenus, item super singulos quatuor nobiles, iobbagionem non habentes, similiter unus florenus auri dicetur, et post huiusmodi dicationem talis modi floreni sine omni tarditate et renitentia per omnes exsolvantur, et manibus magnifici Domini Johannis de Hunyad, regni gubernatoris, assignentur. Provisurus ipse cum eisdem de tranquillo statu regni et defensione opportuna. Qua propter vestras fraternitates et amicitias requirimus et hortamur, quatenus statim, receptis praesentibus, omnis occasionis colore et allegatione posttergatis, singuli vestrum iobbagiones suos, vos autem civitates liberae, regales scilicet et reginales, iuxta praemissam nostram ordinationem, reverendo in Christo Patri D. Joanni, almae ecclesiae Varadien. Episcopo, per praefatum D. Joannem gubernatorem ad id credito, aut hominibus ipsius D. Episcopi, per eum ad illud deputatis, dicare permittere, et huiusmodi dicata, secundum formam praemissae ordinationis nostrae infra XV. dierum spatium eisdem extradere, et exsolvi facere, velitis et omnino debeatis. Alioquin praefatus D. Johannes Gubernator et praedictus D. Episcopus ex tradita eis potestate, ad praemissa omnia realiter facienda, vos et quemlibet vestrum per occupationes possessionum et rerum vestrarum, de quibus praemissa non exsolverentur, et alia gravamina opportuna arctius compellent et adstringent; volumus etenim, ut talium occupationum remissio fieri interim non debeat, quousque huius-

modi occupatori integraliter decem marcae exsolventur. — — Volumus etiam, ut omnes Valachi et Sclavi — modo praemisso dicentur, et ab eisdem irremissibiliter dicata exigantur. — Datum in oppido Pestiensi in festo Corporis Christi, Anno eiusdem MCCCCXLVI.

E cymeliis Biblioth. Quinqueeccl. Appressum est regni sigillum cum cruce dupplicata.

XXIX.

Ioannes de Hunyad Gubernator munus sibi delatum Eugenio Papae insinuat; in unione domi reparanda laborat; contra Fridericum imperatorem, reipublicae infestum, arma movet. An. 1446.

Beatissime Pater! Magna mihi opera opus est ut digne assurgere valeam ad agendas gratias beatitudini vestrae, quae ex benignitate solita rebus et successibus meis iam saepe numero collaetari duxit, ea quoque in meliorem semper spei partem interpretari, quae plus oneris mihi, quam honoris quidcunque subducunt. Id genere genus ipsi beatudini vestrae nunc maxime ampliare placuit, quandoquidem impositum mihi gubernatoris pondus favoris potius esse, quam curae congratulando arbitrata est; quamquam non dubitaverit, altis meis laborum cumulis hoc munere altiores esse. — — Pronus autem animus meus est, et voluntas non impar, ad exequendum ea, quae beatitudo vestra hortatur. Pulchra iam unionis et concordiae fundamenta, dono Domini, iacta sunt. Restaret superaedificare pacem, quae sola et prima virium populi christiani auctrix esse posset adversus infidelium insultus propellendos. Sed quia pater beatissime, ipsa pax nostra commu-

nis adhuc impugnari conspicitur, ecce ad arma manum mittimus (contra Fridericum Imperat.), quae ut beatitudo vestra iustissima esse non dubitet, in aliis litteris meis, de voluntate praelatorum et baronum datis declarare institui. (caeterum de Ecclesiis episcopalibus Zagrab. et Agriensi providendis agit). — Data die XVII. mensis Octobris. Anno Domini millesimo quadringentesimo qradragesimo sexto.

Apud Schwandtner P. II. p. 36. Inimicitiarum inter Fridericum Romanorum regem ac Hungariae regnum gliscentium, quarum meminit Joannes de Hunyad Gubernator, causas Proceres Hungariae datis ad Eugenium IV. Papam litteris exposuerant. Ibid. p. 38. tum ipsemet palam ad Principem Venetorum. Ibid. p. 38 et 39. Perfidiae proin poena de Dracula, a quo captus tenebatur, exacta, concordia per proceres frustra tentata (Pray Annal. P. III. p. 47. 48. 50.) Hunyadius castra Sarvarum usque movit VII. Septembris.

XXX.

Friderico caesari formam induciarum per Vlricum Comitem Ciliae transmittit. An. 1446.

Primo vult Dominus Gubernator ac DD. Barones Regni Hungariae, quod obliget se D. Vlricus, Comes Ciliae, sub fide, humanitate, fama et honore suis, ut ipse usque festum Purificationis B. M. V. nunc venturum, castrum Jaurinense D. Gubernatori et DD. Baronibus regni Hungariae, nunc ac similiter et occasionibus ac cautelis omnibus cessantibus, reddet et resignabit; qui si idem facere nollet, aut non posset, extunc ipse foedifragus existat, hono-

rem et famam amittat, et nunquam inter principes christianos stare et connumerari valeat, mox praefatus D. Gubernator et Domini Hungariae, terram suam et dominationem liberam habeant occupandi, cremandi et devastandi facultatem; quodque ipse D. Vlricus istis permissionibus, occupationibus, cremationibus, terrarum et dominiorum suorum, nec verbo, nec opere, neque facto contradicere possit, similiter sub poena periurii, ac honoris et famae suae amissione. — Datum in vigilia S. Andreae Apostoli Anno Domini MCCCCXLVI.

Apud Pray l. c. p. 52. Postquam Fridericus nihilominus nec ad regem et coronam, nec ad Jaurinum, aliaque regni castra restituenda sivit se permoveri, factum est: quod itinerarium Wolfgangi de Stira paucis inuit: „Anno 1446. in adventu Domini, Vngari vastaverunt terram Austriae propter coronam recuperandam, eis furatam." Apud B. Petz Tom. II. col. 449. Vberius Thuroczius Chron. P. IV. cap. XLV.

XXXI.

Joannes de Hunyad Csonokosianis possessionem prius Keneziatus titulo tentam, servitiorum merito, iure perpetuo confert. An. 1447.

Nos Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, memoriae commendamus, — quod nos, consideratis et in memoriam nostram revocatis multi modis fidelitatibus et fidelium servitiorum gratuitis, meritorumque sinceris complacentiis, atque virtuosis gestis nobilium Daan, filii quondam Jaroszlaw de Chonokos, nec non Woyk, ac Petri Zsorbe, et Johannis, filii dicti Jaroszlaw de eadem Chonokos,

quibus ipsi sacrae regni Hungariae coronae, et ex post nobis in plerisque tam regalium, qurm nostrorum exercituum, tum contra saevissimos Turcos, quam Hungariae regni notorios aemulos plera vice motorum, expeditionibus, non parcendo personis, ac rebus eorum cum immoderata sanguinis eorum effusione studuerunt complacere. Intuitu quorum volentes ipsis nostram exhibere benevolentiam favorosam, possessionem Chonokos praedictam vocatam, in Comitatu de Hunyad praenotata, in districtu Haczeg existente habitam, in cuius dominio praefatus Daan more Kenesiatus hucusque perstitisset; item totum et omne ius regni, si quod in eadem possessione Chonokos qualitercunque regia haberet serenitas aut quibuscunque modis et rationibus sacram eiusdem concerneret coronam, simul cum cunctis eiusdem et ipsius utilitatibus — ad eandem et ipsum ius regium de iure spectantibus, et pertinere debentibus, sub ipsius veris metis et antiquis, eidem Dan ac aliis praescriptis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis, auctoritate nostrae gubernationis, nec non consensu et voluntate universorum dominorum praelatorum et baronum ad id accedente consensu dedimus, donavimus et contulimus. — Dat. in Temesvár in festo Ascensionis Domini, anno eiusdem MCCCCXLVII.

E MSS. Corniderianis.

XXXII.

Joannes de Hunyad cum Statibus et Ordinibus regni contra Friderici Imperatoris daritiem Polonis querulatur. — An. 1447.

Reverendissimis, reverendisque in Christo pa-

tribus ac magnificis, strenuis, egregiis et nobilibus viris, dominis praelatis, magnatibus, baronibus, militibus et proceribus regni Poloniae, fratribus et amicis nostris dilectis, praelati, barones et proceres regni Hungariae salutem et dilectionis augmentum. — Vetustum morem nostrum, quem communem cum F. V. ab olim habuimus in avisando de singulis urgentibus hinc inde rebus et nunc per maxime non praetermittere dignum putavimus. Quando quidem fixa studia nostra magis exigunt, ut incommoda nostra, aeque ut commoda, vobiscum amica confidentia participemus. Id et hactenus, quantum nobis, inter tot turbines positis, ex antiquae amicitiae officio expediens fuerit, inficari haud possumus, quin has crebras iniurias nostras crebrius fraternae compassioni vestrae communicare opus fuerit. Verum tot indigna facinora, quae et sine clamore nostro late, publicisque suis rumoribus F. V. clara, notaque esse potuerunt, bonis mediis et modis complanatum ire posse putabamus, ad quod consequendum et plurimos labores adhibuimus, ut eo certius eisdem F. V. tandem finis earum rerum, quorsum evaderet, signific. locum haberemus. Itaque nunc nota potius, quam notificanda scribere instituimus, de D. Romanorum Rege et theutonicis vicinae circumpositis, quorum quamvis simulatam sensimus amicitiam, vel potius ingenitam et ferme naturalem inimicitiam; ab eo tamen tempore, quo serenissimum Dominum nostrum Wladislaum regem, opportunis regni nostri gubernaculis advocatum et inductum habuimus, apertius velatam hostilitatis faciem nudarunt, sublatamque inhoneste regni nostri coronam, inhonestius detinent. Mox dissidiorum semina iniecerunt, unde et quo, quantisque aliis, cautelis, obstaculis, iniu-

rjis, caedibus et insultibus, ipsius domini nostri regis ingressum et statum impugnare, castrorum occupationibus, confiniorum vastationibus, praeter ius et fas afficere conati sunt, licet describi late possit, non expedit tamen; quum luce clarius nota esse non dubitemus F. V. praesertim his, qui cum ipso Dom. nostro Rege versati, patriae nostrae vulnera praesentes palpabant, quippe ipsis nostris aeque et suis doloribus et compati cordialius et consulere videbantur. Verum libuit eam vim et invidiam tum magis patienter ferre, ac ob renovatum, captatumque horum regnorum, nostri videlicet et vestri amicitiae foedus urgeri per quam parati videbamur. Quin nihil debito nostro decentius, nihilque dignius arbitrati sumus, quam ut quaesitam diu utrisque dilectionem haereditaria a progenitoribus benevolentia firmaremus, imo post illud idem quaesitum a parentibus carum foedus, non obstante aliquorum dissensione privata, ad id sedulo modum, opem, operamque proni contulimus, ut cum aetatibus temporis mutua quoque vicaria succederet affectio, ita ut nisi ignoratione vestra abuti videamur, iustis, dignis et haud disparibus honoribus hinc inde usi, magna, claraque fide cognatam amicitiam teneremus. Accedit hinc, quod et praenominatus rex noster et vester, utpote vobis natus et nobis datus, inter pessimos militiae exercitus nostri successus omnia grate ultro accipiens, salutem propriam pro nostra salute ventilando, lapsuque suo, imo potius nostro cum suo, testatus sit, quanta affectione pericula nostra debellanda susceperit. Quo quidem pacto tantorum operum magnalium reliquit perfectum nobis utrinque, fratres carissimi, et arctius servatum antiquae benevolentiae munus, ut et deinceps carius et vos nostris

et nos vestris hinc inde rebus obligati maneremus. Postquam igitur, sicut Domino placuit, tali fuimus patrono orbati, nec tamen adhuc de eius vita omnino desperati, sicut de eo praesente, ita et ex multis instantiis, viis, modis et ingeniis quaesivimus pacem, occasiones discordiae de medio eiicere conati sumus, omnemque oblationem quieti aptam impendimus, quominus paganorum insultibus cedere, distracti vetaremur. Sed longe aliter ac sperabamus, consecuti fuimus. Nam malis peiora cummulari vidimus. — Primum pacis treuga, quam adhuc cum praefato D. nostro rege in eius digressu antefatus D. Romanorum Rex biennio condixerat, ex sui parte soluta est. Demum ad occupationem confiniorum regni et castrorum ac proventuum regalium ardentius progrediens, caedibus fratrum, spoliis subditorum, ecclesiarum (nefas!) exsecrationibus et caeteris infinitis iniuriis totam fere nostram patriam complevit adeo, ut atrocitas incommodorum publica, cognatae caedis acerbitas et fratrum, patriaeque alta oppressio, nos non immerito emori potius, quam ignominiam pati provocaret. Verum tamen et inter tot publica, ne praecipitem vindictam videremur expetere, novo consilio novos oratores delegimus, atque instantius cum omni unionis et pacis ordine, tum pro illatorum restauratione, tum etiam pro ipsius sublatae coronae nostrae restitutione institimus. Sed solitis cautelis perperam repulsis, nihil praeter verba reportare potuimus. Quamobrem omni super his spe feliciori frustrati ad arma manum misimus, ferro iter aperiendum ad pacem commodius arbitrati. Vnde et post has plagarum primitias, quae hac vice hostibus, iustitia suadente, illatae sunt, non cessare deliberatum est, quousque et divino et iustitiae auxiliis et pro-

bro solvamur et damno. Quae quidem omnia etsi F. V. vel maior pars eorum non ignorent, quin his, quas praediximus, causis et perferre et inferre contigerit universa; tamen pro meliori informatione eorum, qui non ita ea ipsa perpenderent, scribere et iustitiam nostram declarare voluimus, rogantes, ut, si forte aliter super his per hos ipsos nostros communes et naturales aemulos amicis auribus vestris deferri contigerit, eis, veluti de odio suspectis, credulitatis locum indulgere non velitis; sed memores cognati moris, nostri foederis et affinitatis, iustas spes fidei nostrae illorum gratia abrumpi non patiemini, nec asueta benevolentia vestra eorum criminationibus credat, quorum semper diffida suggestio seminarium discordiae elaborat, et officiis amicitiae dolos contegens, aliorum pacem debellare conatur; nostros vero mores, non tam cognitos, quam connatos ab atavis, iudicio vestro committimus, in quibus non aliud, nisi rectam fidem, benevolentiam, dilectionem et amicitiam viguisse arbitramur, in quibus persistere et deinceps intendimus, prout et versa vice F. V. animos experti sumus. Plura super his in adventu plurium fratrum nostrorum, quos ad festum B. Gregonii adfuturi generaliter in hunc locum evocari fecimus, seriosius F. V. curabimus declarare. Datum Budae die penultima Februarii, Anno Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo.

Apud Dogiel Tom. I. p. 58. Iniuriarum a Friderico anno hoc illatarum meminit Chron. Austriacum: MCDXLVII. Serenissimus D. Fridericus Rex et Dux Austriae et Stiriae destruxit in Vngaria quoddam (castrum) nomine Hauenstagn et funditus exstirpavit, subvertit et annihilavit." Apud Petz Tom. I. col. 736. Pignoris titulo aut vi occu-

pata tenuit arces et urbes: Sopronium, Cinsium, Rechnitzium, Jaurinum, tum oppida et vicos Slenigh, Perstain, Divinium, Katzenstain, Baumgarten, Vorchtenstain, Kismartonium cum Kobersdorfio et Vella, apud Pray Annal. P. III. p. 13.

XXXIII.

Idem mercatoribus Austriae securitatem per Hungariam addicit. An. 1447.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, memoriae commendamus — quod, quamquam a pluribus retroactis temporibus inter hoc regnum Hungariae praedictum, ac ducatum Austriae certa controversionis materia orta diu permoraverit, temporeque eiusdem vigente, incommoda damna, iniuriae ac molestiae in alterutrum commissa fuerint et patrata, tamen quia praefatum regnum Hungariae et ducatus praescriptus pridem per interpositionem utriusque partis electorum ad exoptatae pacis devenerant unionem; ideo volentes et ex animo desiderantes praefatum regnum et ducatum antelatum simul cum eorum inhabitatoribus pristina libertate congaudere, ex voluntate et deliberatione universorum dominorum praelatorum et baronum, procerumque huius regni decrevimus atque deliberavimus, ut ubique in hoc praefato regno Hungariae in locis triecsimarum iuxta consuetudinem — super incolas atque mercatores praetacti Ducatus Austriae exigantur. — Praeterea volumus, ut nullibi in metis regni Hungariae incolae praefati ducatus pro aliorum excessibus arestentur, sed ubique pax et securitas ipsis adhibeatur. Datum Budae tertio die festi nativitatis B. M. V. — Anno Domini MCCCCXLVII.

E MSS. Cornides. Tom. XI. Ast nihilominus pax confici non potuit, ut notavit Iwanichius l. c. p. 56. „Postquam ipse Legatus recessit a Buda, inconclusa pace; fuerunt post eum missi certi oratores, pro eadem pace ad Posonium, quo etiam Oratores Romanorum convenerant. Vbi etiam nihil conclusum fuit. Volebat et quaerebat ipse Legatus, ut si pax perpetua fieri non potuit, saltem trengae inter partes firmarentur, ut aliquid fecisse videretur."

XXXIV.

Joannes de Hunyad Gubernator castrum Budense conservandum comitialiter obtinet. An. 1447.

Nos Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, Dionysius, Cardinalis Strigoniensis — — Comes Ladislaus de Gara, praedicti regni Hungariae Palatinus, C. Ladislaus de Palocz, Judex Curiae regiae, Nicolaus de Ujlak et Emericus de Pelsewch, Vaivodae Transilvani (Praelati, Barones, Proceres et Ablegati praesentes nominantur), electi nuncii ad praesentem conventum nostrum per universitatem nobilium comitatuum praedictorum transmissi, totum corpus ac idemtitatem regnicolarum repraesentantes, notum facimus praesentium per tenorem, quod nobis in ipsa nostra conventione, hic Budae celebrata constitutis, de et super his, quae quieto et tranquillo statui ipsius regni nostri Hungariae utilia et commoda essent tractantibus, quum inter haec de et super facto huius castri Budensis, quod quondam magnificus D. Laurentius de Hederwara, regni nostri Palatinus, usque ad exitum nimirum suae vitae ex nostra benevolentia et collatione tenuit (a filio huius Emerico receptum ad manus gubernatoris dant,

remittunt et assignant tenendum et conservandum). Harum nostrarum litterarum sigillis regni aut nostro, scilicet gubernatoris, nec nonnullorum nostrorum appensionibus consignatarum vigore et testimonio mediante. Datum Budae praedicta feria quarta proxima post festum exaltationis S. Crucis anno Domini MCCCCXLVII.

Apud Bel. Not. Hung. Tom. III. p. 207. Facto hoc dignitatem suam coarctatam censens Ladislaus de Gara Palatinus contra Gubernatorem aemulabatur.

XXXV.

Idem Gubernator cursum unius monetae novae regalem curat. An. 1447.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator. — Nondum credimus a recordio vestro excisum fore, qualiter superioribus diebus ex vestra et omnium huius regni dominorum Praelatorum et Baronum unanimi voluntate, in civitate Budensi conclusum extitit et deliberatum, ut per totum hoc regnum Hungariae una nunc moneta instituatur, cuius denarii maiores 200, minores vero, scilicet obuli quadringenti cursum habeant pro floreno, quodque nulla alia pecunia, praeter illam, transitum habeat in praefato regno. Quam sicuti in caeteris cameris regalibus, sic in camera Posoniensi cudi fecimus. Igitur dominationes, fraternitates et amicitias vestras praesentibus requirimus et hortamur, nihilominus quoque vobis committimus, quatenus praescriptam novam pecuniam, in dicta camera Posoniensi cudendam, et nullam aliam antiquam in dominiis, possessionibus aut honoribus vestris seu in medio vestri cursum habere permittatis. — Datum in Karaan, in

festo B. Lucae Evangelistae Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo.

E MSS. Cornides. Tom. XII.

XXXVI.

Idem im bellum Turcicum intentus, ab Alphonso Aragonum et Neapolitano rege muneribus excultus, suppetias sollicitat. An. 1448.

Serenissime et excellentissime Princeps. Literas et nuncium serenitatis vestrae absoluto tandem turbinibus itinere, hoc praeterito mense Aprili, vidi et habui: in quibus ex vulgata virtute regia obortae dudum spei meae non aequata modo, verum super erogata favoris principia complexus sum. Audivi denum et orationem Maiestatis illius bene memorem; suscepi quoque elargita illa munificentiae regiae dona, equos videlicet, et apparatus, gratia, splendoreque magnifica, quorum beneficio dum M. V. alteri laudem, gloriamque deferri voluit, sibi recte plurimum cumulavit. Reputavit sane, S. Princeps, in eis rebus personae suae magis quam meritorum meorum respectum, rationemque intervenisse, quum eo munere non quod accipiente, sed quod datore dignum erat, acceperim. Itaque praeventus honore, statim gratitudine sequi et utinam ita obsequi possem, ut rebus potius, quam verbis ad agendas gratias idoneus iudicarer. Nunc vero ut unum praecipuumque, quod possum, ut pote debitum, obligationemque meam commendo; praesertim quum deinceps et mihi in eis rebus, ad quas iam pro utilitate reipublicae christianae, honoreque serenitatis vestrae enitor, ad expertam magnificentiam regiam tutum refugium oblatum iri non dubitem. Caeterum absente C. Stephano,

satisque diu exspectato, intulit praefatus nuncius et familiaris serenitatis vestrae quaedam de legatione ipsius Comitis: quo audito pauca eidem, sed fida et fixa responsa dedi, orans Maiestatem vestram ut in eo digno, pio et utili negocio inceptam operam intentionemque continuare dignetur, feratque opem, qui spem dedit, ne differendo elangueat res illa, in qua perseverantia opus esse, quam impetu, utilius duco, potissime ne ostentari perperam, sed geri prius res ipsa videatur. Recommitto me et id totum, quod sum, Maiestati vestrae, quam Dominus et suae gloriae et omnium nostrum commodo conservare dignetur. Datum Budae XXVIII. die mensis Maii An. Domini MCCCCXLVIII. S. V. servitor Johannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator et Vaivoda partium Transilvanarum etc.

Apud Schwandtner p. 280. epist. 29. Fuit Alphonsus, Aragonum Rex, post obitum Joannae II. Caroli Parvi, Hungariae regis filiae, regnum Neapolitanum adeptus. — Scripsit eadem die idem Gubernator in illomet negocio etiam ad filium eius Ferdinandum, subin filii sui Mathiae socerum, factum. Ibidem epist. 30.

XXXVII.

Idem a Nicolao V. PP. delatum sibi principis titulum deprecatur ac suppetias exposcit. An. 1448.

Beatissime Pater et Dom. metuendissime! Dignam munificentia et apostolica atque illo auctore accepi gratiam, ministro et oratore idoneo (Nicolao Decano) magna decoraque dignitatis, honoris, nominis et status insignia: verum exspectatione grata magis quam aequa. Quae quum delata ultro ante, quam sperata contueor, cumulatioris gratiae beneficium accedit, munus videlicet Benevolentiae Apostolicae, quae

cupienti sponte obvia ad altioris fiduciae cultum me sustollere potens erit. — Hanc equidem benevolentiam, beatissime pater, in his rebus maxime pensi habeo: hinc et pro hac gratias ago, quanto uberius possum referoque, cui praesertim ita iam inniti paro, ut ea vel sola, vel prima incumbere, proliciet ad haec ipsa, quae obtulit, consequenda. In quibus licet nunquam famam privatam reipublicae christianae pluris facere in animo sit, tamen si quid laboris, vigiliarum, curae ac operis adiici poterit, certando mecum ipse adnitar, ut tantam de me opinionem et constantem et utilem, quam solertius efficiam; nec patiar, ut in re ipsa me cura prius, quam spes destituat. Habet igitur B. V. paratum in me ministrum et animum non executorem modo, sed et praesultorem in hoc voto, ita ut deinceps magis adiutore opus sit, quam incitatore. Quamobrem, si me vel potius communis nostrae religionis statum in me S. V. honoratum esse volet; si denique collata insignia inhaerere mihi, quam elabi satius ducet; ferat opem effectui, qui spei stimulos dedit, ut non appellasse solum B. V., sed effecisse principem videatur. Nam aliorum, praeterquam sedis illius, ad eam rem auxilium optare quidem potero, sed sperare parum. Quo fiet, ut quidquid exinde honesti secuturum est, id sane mihi ad gratiam, verum beatitudini vestrae ad gloriam aeternam compellabitur. Ego vero in ea re adversus illos et nominis nostri et naturae hostes, quo accipio, eodem me gesturum animo, polliceor. In qua si inceptis eventus pares reddere divinae pietati placuerit, non tam fructu iucundum erit, quam ultione. Restat, ut et ego aggrediar, et B. V. aggressum, curamque meam confoveat; quatenus in hoc cognoscam, quantum voluisti me, si non gau-

debit inimicus meus super me. Plura super his relaturus est et oblaturus ex parte mei Ven. P. Nicolaus Decanus, Curator huius muneris, cuius parere, quam modum dare informationi, magis soleo. Conservet altissimus S. V. feliciter et nostro opitulamini et suae sanctae ecclesiae regimini, iuxta vota. Data Budae, penultima die mensis Maii, Anno Domini Millesimo CCCCXLVIII.

Ibidem epist. 33. Hanc in rem notavit Jvanichius: „Postquam iste Dominus Nicolaus Papa assumtus est ad papatum, Dominus Gubernator ac Praelati et Barones miserant Dominum Nicolaum, Decanum Cracoviensem, tunc commorantem in Hungaria, ad sedem apostolicam, ad praestandam obedientiam Domino PP. et ad congratulandum eidem de vocatione ad hoc ministerium. Qui abinde reversus reportaverat multa pulchra verba, et quamdam etiam promissionem de subsidio contra Turcos." — Ibidem pag. 50.

XXXVIII.

Idem Gubernator egregium Vojk de Cholnok fratrem suum condivisionalem recognoscit. An. 1448.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, universis et singulis Dominis Praelatis, Baronibus, Comitibus signanter autem in castris Hunyad et Hatzeg constitutis castellanis, alteriusque cuiusvis status et praeeminentiae hominibus, praesentes hasce nostras visuris, salutem cum favore. — Dicit nobis egregius Voik de Chionok, frater noster condivisionalis, in sua et Ladislai et Sandrini, filiorum suorum, nec non Dan filii Jarizló, de dicto Chionok, personis, quomodo complures forent Nobiles et Castellani, qui ipsos in diversis servitiis, datiis, collectis et exercitualibus expeditionibus nimium aggravassent, ag-

gravarentque etiam de praesenti, contra gratiam authoritate nostrae gubernationis ipsi factam. Unde nos praesentibus hisce nostris requirimus dominationes vestras et fraternitates, quatenus praefatos egregium Voik de Chionok, ac Ladislaum et Sandrinum, filios eiusdem, nec non Daan, filium Jarizlo, posteritatesque ipsorum universas, in ipsorum possessionibus, puta Chionok praedicta et Hatzeg et Doboka, in Hunyad districtibus habitis, nullo impedimento eos impedire facere dignemini, sed eosdem ac posteritates eorumdem universas, ab omni exercituali expeditione, servitiorum collectis et datiis quibusvis volumus habere exemptos, imo eximimus et supportamus praesentium per vigorem. Pro eo, quicunque regni Hungariae successores, Praelatique et Barones regni Hungariae, signanterque Castellani castrorum Hunyad et Hatzeg praedictorum, praescriptam nostram gratiam infringere attentaverint, indignationem Dei omnipotentis, suaeque genitricis Virginis gloriosae, Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ac omnium Sanctorum incurrant et eo facto anathematizati sint. Datum in Karansebes, feria secunda, proxima ante festum decollationis S. Joannis Baptistae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo." L. S.

E transumto Gabrielis Bethlen An. 1609 emanato.

XXXIX.

Idem pacem cum Friderico Imp. conficiendam per Joannem Cardinalem S. A. Legatum urget. An. 1448.

Reverendissime Pater et Domine! Propositum pacis illius negocium nos omnino non aspernari, superioribus avisamentis satis superque expressisse cre-

dimus. Quo accessit, ut et diaetam hanc praeteritam, conventionemque generalem, in qua rei conclusio magis idoneum locum habebat, satis ample protrahi feceramus; et ob hoc adventum prius, quam litteras RR. paternitatis vestrae optabamus excipere; rati, rem ipsam sollicitando dirigi, differendo vero elanguere posse. Verum tamen et has litteras, quas nuntius noster, tarde tamen rediens, hesterna die nobis attulit, gratulabundi vidimus; dum praesertim ex eis et prosperum reditum RR. paternitatis vestrae a Bohemia et vicinum eius adventum ad nos accepimus. Congaudemus itaque de reditu prospero, adventum autem ipsum desiderio pleno exspectamus, parati et suscipere et colere cum honore. De oratoribus siquidem ad Posonium mittendis, via et spes omnis ablata est. Ita enim in hac diaeta praeterita communi omnium deliberatione concludere placuit, ut res ipsa in praesentia nostra caeterorumque praelatorum et baronum, ad hoc cum omni mandato deputatorum, in hoc loco tractetur; multis respectibus in hoc habitis et potissime, ut in ipso negotio aperte magis et sine cunctatione debitus finis quaeratur. Vim etenim et iniuriam passis, et ampliores sermonum latebrae, dilatio tractatuum, cautelae exceptionum, quae praesertim ex crebro oratorum cursu et recursu multiplicari solent, toediosae sunt. Opus est videre magis, quam sperare, vel in iniuriarum vel tractatuum finem. Exsurgat igitur RR. P. V. et susceptum pro pace hac laborem aequanimiter idem arbiter, idem Dux et Comes, idem denique lator eius optatae pacis futurus continuare velit. — Parata inveniet omnia, securitatem, conductum, commeatus et animorum ad pacem magis, quam arma ardorem. Proviso, quod partis illius regiae ita deli-

beratam et apertam mentem, voluntatemque concipiat, ut res ipsa, tot iam recursibus volutata, concludi magis posse, quam ut ita dicam, eludi seu labefactari dilationibus videatur. Quo quidem ordine RR. P. V. nudam hanc rem in manibus habitura, facile decernere conclusionem poterit, reddereque pacem accomodam partibus, nobis vero facultatem liberam expediet vacandi ad ea, quae pro tutela et incremento haud minus fidei, quam regni et debito et animo nostro impendent. Excipimus enim assiduos aeque religionis, ut patriae hostes, adversum quos et nobis opus esset deinceps gladio potius uti, quam scuto. Recommittimus nos RR. paternitati vestrae quam et valere, et videre optamus. Datum Budae III. Junii MCCCCXLVIII.

Indidem epist. 28.

XL.

Idem ad bellum se accinctum Alphonso Aragonio significat. An. 1448.

Serenissime Princeps! Tandem post discessum nobilis Bernardi, familiaris Maiestatis vestrae, venit ad me magnificus D. C. Stephanus, afferens certa Capitula super re illa cognita, quam divinae primum et deinde Mai. V. gloriae accomodam, regno vero huic, imo et fidei nostrae catholicae perutilem reputavi. Cuius quidem adventus, quamquam serus, gratus tamen mihi fuit, utpote ex quo amplam, constantem atque illo principe dignam voluntatem cognovi, ad persequendam rem pretactam, qua nihil commodius vel exoptari, vel complecti mihi unquam videri poterit. Legi itaque illa capitula et in eis nihil aliud, quam temporis lapsum criminatus sum. Cae-

tera enim recte ire potuisse non dubitabam. Opus est elapsa reassumere, maneat modo intentio prior, pro quorum executione, quo ordine et quibus mediis insistendum sit, satis clare cum praefato Comite Stephano contuli, qui ipsam M. V. vel literis et nunciis suis amplissime de omnibus poterit informare. Mihi nunc plura superinde loqui non satis visum est, ipso eodem relatore et mediatore contentus. Caeterum duce et opifice Deo, ego iam accingor, desideratum diu iter prosecuturus. Incipere rem hanc grandem mea interfuit; exsequi vero et conficere, superioribus viribus et numini reservatum est. Habet sane M. V. satis competens in ea re exordium. Agat igitur deinceps necesse est, prout divino obsequio et suae gloriae conducere satius norit. Recommendo me Maiestati vestrae. Data Budae XXIV. mensis Junii An. Domini MCCCCXLVIII.

Ibidem epist. 31.

XLI.

Idem Michaelem Doczi stipendia militibus exsolvere iubet An. 1448.

Joannes de Hunyad — — Dicunt nobis Paulus Zar et Ladislaus Sogan, quod adhuc stipendia ipsorum non solvissetis. Ideo volumus, ut visis praesentibus eosdem exsolvatis. — Datum in Megyes Sabbatho proximo inter octavas festi pretiosi Corporis Christi. Anno MCCCCXLVIII.

E MSS. Cornides.

XLII.

Idem de nervo rerum gerendarum providet. An. 1448.

Nobili Odvardo Italico, Camerario nostro —

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, mandamus vobis firmissime, ut statim visis praesentibus, totam pecuniam, cum qua Stephanus, filius Bani, aut familiares et iobbagiones sui pro pretio salium obligantur, recolligere citissime debeatis et post nos versus Zaazsebes portetis, ymmo etiam ab possessionibus aliorum exigatis, qui obligantur cum pretio salium praetactorum. Si vero idem Stephanus, filius Bani, non faciet de suis possessionibus exsolvere ipsam pecuniam; extunc in veloci cursu equi nobis intimetis, quia nos suas possessiones statim occupari faciemus. Praeterea dixit nobis Matthaeus, socius vester, quod ibi in Dees haberemus mille babata (soleas equinas) illa nobis portetis simul cum somfis vel claviculis. — Datum in Zenthagotha, in festo Assumtionis B. M. V. anno Domini Millesimo CCCCXLVIII.

E cymelio Bibl. Quinqueeccles.

XLIII.

Idem Gubernator cur bellum contra Turcos anno hoc movendum duxerit Nicolao V. PP. intimat. An. 1448.

Beatissime Pater et Domine metuendissime! Idoneo oratore pro dignitate rei agendae Venerabili Patri Nicolao Decano superioribus diebus instituto, quid devotionis regnum hoc erga Beat. V. habuerit, plene significatum puto. — Semper enim praecipua opera in id adhibita fuit, ut haec, quae inter primas virtutes est, fides ac devotio erga apostolicam sedem uno et stabili tenore servaretur. Praeterea nihil praetermissum credidi eius viri prudentia, quidquid dici, explicarique debuit aut potuit, et de intentione et fiducia nostra. Item quam pio nunc ar-

dore succenseamus ad eas ipsas, quas pertulimus, veteres novatasque clades, tum vitandas, tum ulciscendas. Quo nuper e conspectu serenitatis vestrae redeunte attulerat paria his rebus, accomodaque responsa; potissime dum ex eius relatione cognovimus magnum sanctitatis vestrae disiderium, affectionemque ad regnum hoc et eius statum, quo felicior evaderet; — specialiter vero circa persequutionem horum, quae nobis et occasione et spe maxima, agenda incumbuerunt. Magnificum alias ad haec ipsa curanda auctorem emigrasse de medio, dolebamus, sanctissimum quondam D. Eugenium, qui ut tutam in nobis Maiestatem christiani nominis efficeret, vix ratio iniri poterat, an minus se impendebat nobis, quam reservabat sibi. Verum de S. V. tanta antefato precone crevit opinio et fiducia, ut recte dupplicem animum Eugenii in B. V. requievisse vel potius exuberasse laetati simus; iam venisse tempus rati, licet plus serum, quam dignum reipublicae fuisset, in quo sub tanto duce, tantoque catholicae religionis principe, facultas accedet, ut adversum praefatos nostros et fidei hostes, hactenus vix scuto potentes, deinceps gladio uteremur. Magna igitur et digna ex his assumpta fiducia, remittitur ad pedes S. V. ex deliberatione DD. Praelatorum et Baronum praefatus orator, simulque nunc exactor parati potius, quam sperati auxilii constitutus, qui indubitatam fidem faciet et facere, utpote ex visis, poterit de constanti intentione nostra et de praesenti passagio, iam in Dei nomine haud minori desiderio, quam conatu exequendo. Quod quidem iusta occasione indictum advoluta necessitas maturare constituit. Caeterum super illo, ubi B. V. audaciore forte, quam tutiori consilio me concitatum ducens, hortabatur, ut hoc

ipsum passagium pro anno futuro prorogatum ageretur, et ob hoc etiam petita auxilia non negari per S. V. sed differri videbantur; optassem, pater beatissime, voluntati S. V. satisfacere, et cuius patrocinio, eius et consilio uti, sed quum hostis ille veteranus, Teucrorum Imperator, novissimis christianorum cladibus recens, cum magna et terrestri et navali potentia finibus nostris propingua castra circumducens, plures adversus nos immigrandi passus tentaverit; opportunum fuit et nos ad subita belli ministeria manum mittere, ut tantae potentiae resisteretur, ne paratus ipse imparatos nos obtunderet. Semper enim ex eo hoste, si non apertum, suspectum tamen nobis bellum imminet, quod quidem saepe numero illatum, priusquam ostentatum, persensimus. Bello itaque ad bellum coacti in Dei nomine exsurreximus, voluimusque occasioni nostrae et tempori non deesse, ne occasionem suam hosti daremus. Qui quum eo audito, e vestigio subsistens, pararet tum dilationibus, tum variis simulationibus apparatus nostros eludere, nos nihilominus priori intentioni praesentem necessitatem iungentes, indictum passagium prosequi statuimus, tanto fortius aggressuri, quanto maior spes, maiorque animus est, inferentis vim, quam arcentis. Ego vero propositi huius et necessitatis indicem me apud S. V. ingero, quid agendum magis, quamquid loquendum sit, considerans et spondere minime ausim, idem robur, eumdem, si differretur bellum, animum postea fore, ut ad aestatem rursus his instituendis novus de integro exsudaretur labor; praesertim si his castris et stipendiis laxamentum praestiterimus. Nam sic non differremus bellum, sed contra fines mox futurum acciperemus. Quamobrem non belli, sed temporis ratione mutata, aggredior

hoc sanctum opus, in quo devotum est, mihi inter ipsa ferrum et arma mori potius, quam videre amplius mala gentis nostrae, non expers futurus gloriae si vel bene vincentis, vel bene morientis, fortuna laudabitur. Vestrae autem beatitudini intererit promovere incoepta. Multorum sane militum vitas in hoc negocio pignorare constitui. Ne cunctetur ergo B. V. tam egregio fulta pignore gerendis pro fide rebus succurrere. Plura dicet circa haec plenius de omnibusque rationem reddet praefatus D. Nicolaus, qui ut audiri a nobis solitus est, ita apud S. V. exaudiri merebitur, quam Altissimus feliciter conservet iuxta vota. Datum in progressu exercituali apud vada Danubii, prope oppidum Kowinii, octavo die mensis Septembris Anno Domini MCCCCXLVIII.

Ibidem epist. 34. Idem propositum suum Francisco etiam Foscari, Venetorum Duci, quarto post die litteris significavit. Ibid. p. 37.

XLIV.

Idem super pace cum Friderico, per Joannem Cardinalem S. A. L. irrito conatu tentata, rescribit. An. 1448.

Reverendissime Pater! Nuncius cum literis RR. dominationis vestrae in his locis, apud vada Danubii, ad nos appulit, ubi solliciti de promovendis his fidei rebus, de illis quoque, quae in Posonio inconclusae manserant, plene avisati fuimus. Ex quibus etiam paruit nobis diligentissimus labor RR. D. V. quem accuratissime adhibuit, ut ad aliquam pacis viam dissidentes partes conduci potuissent. Itaque pro tanta sollicitudine, cura et diligentia magnas gratias agere habemus RR. P. V. utpote quae nihil praeteriisse, nihilque praetermisisse videri potest, quo

minus illud pacis bonum, nobis quidem necessarium, alteri vero parti non incompetens, concludi, firmarique debuisset. Caeterum de facto treugarum magna nobis consolatio videretur, si in tali loco, temporeque positi essemus, in quo deliberatio efficax circa ipsam rem agi possit; quoniam sive ad perpetuam, sive ad temporalem pacem deveniretur, nunquam desiderio nostro alienum foret, dummodo id stabili et congruo ordine fieret. Sed quia his, quae supra diximus, rebus videlicet fidei, impediti, ad ea plene, ut tantum requirit negocium, deliberationem facere ad praesens non possumus, signanter propter absentiam aliorum Praelatorum et Baronum et Consiliariorum regni, quorum in hac re honori deferendum est, et consensus requirendus, atque obtinendus, et proterea ordinavimus, ut in proximo fiat una diaeta in Buda, ubi maiores regni convenire debeant, et super eo tractare et concludere, quod erit ad bonum statum partium et regnorum praedictorum, ubi etiam Cancellarius regni aderit, qui iuxta deliberationem dictorum Praelatorum et Baronum litteras opportunas daturus est, cui una cum dictis Praelatis et Baronibus plenam in hac re dedimus facultatem. Data in descensu nostro exercituali apud vadum Danubii, quod vulgo lapideum dicitur. XIV. Septembris anno Domini MCCCCXLVIII.

Ibidem epist. 38. Quum haec a Gubernatore agerentur, Amurates expeditione contra Scanderbegum suscepta, Croiam oppugnaverat, teste Laonico apud Stritter Tom. III. p. 739. Venit ad eum ab Georgio, Trybalorum duce, nuncius Joannem Choniatem congregatis Pannonibus plurimis, traiicere castrum et contra ipsum hostili animo pergere. His auditis Amurates, continuo omnibus impedimentis et

sarcinis collectis, arce quam obsidebat, digressus est, obviamque processit, qua eum venturum cognoverat. — Hic (in quadam Mysiae regione) invenit Joannem Choniatem cum Pannonum exercitu hostili animo adversum se pergere. In castris Choniatis erant 40 millia peditum, tam ab Pannonibus quam a Dacis allecti, septem millia equitum erant et curribus vehebantur alii, quorum numerus erat bis mille (Thuroczius copias Hunyadianas circiter 24 millibus universe definit). In belli societatem vocarunt etiam Trybalorum Ducem; is vero dixit, non videri ipsorum apparatum parem Amuratis copiis, ut spes sit, bello ipsos superiores fore, praeterea a sé magis timeri illum, quam Pannones, quippe alienigenas, quique se maximis affecerint iniuriis, cupere quidem se poenas de Amurate sumere, qui filiis ipsius oculos eruerit; vix autem ipsos praesenti apparatu de hostibus victoriam reportaturos, se itaque nunquam sponte in huius belli societatem venturum."

XLV.

Idem Gubernator aetatis suae annum prodit. An. 1448.

Beatissime Pater et Domine metuendissime! Satis superque palam futurum crediderim beatitudini vestrae, cum litteris, tum vero venerabilis oratoris nostri legatione, quid curae, quidve consilii regno huic impendeat, quid denique operae ac studiorum paretur, in spem christianae libertatis, irarum coelestium venia potiundae, quam vel peccati vel fortunae conditio multis turbatum fragoribus, infidelium calcaneo, subturbans pessumire portenderat et quae profecto hactenus, ut vera magis, quam decora fa-

tear, pertinacius oppugnata ab hostibus, quam a civibus defensa, recte videri potest. In qua re si quidquam amplius eius viri eloquio adiectum fuerit, id licet totum superabundare non dubitem, utpote ubi non solum intentionis cognitae, sed verae etiam executionis relator accedet; tamen exequenti mihi, quae ad eam rem instituta sunt, non ab re visum est in hoc procinctu cum ipso oratore nostro miscere sermonem, eum videlicet, qui plus animum solicitat, urgetque, et quo magis urget, eo minus taceri, minusque in animo meo oblitterari potuit, nihil novi vel ignoti addens, sed ut refricatus dolor malorum publicorum sensum, tot malis duratum reficiat, magisque notum fiat, belli huius causam maiorem esse quam bellum. Lustrum prope vicesimum, si apte memini circumagitur, quo Europae oras infesta Teucrorum arma, Deum, hominesque violatura pervolarunt, eaque post subactam plusquam brevi Graeciam, Macedoniae deinde ac Hungariae regna, praeterea Albaniae, item alias, ut dictu, ita et memoratu miserandas, plurimas terras, aliis super alias cladibus completas, superbo ludibrio, ruina, funeribus, servitute, religionis denique iactura, deformatas, in peregrinos ritus, mores, legesque ac infidae linguae commercium interverterunt. Nihil incolumis inter sacra, profanaque, nihil inquam, cui ferro, terrore, cui flamma et iugo noceri potuit, inviolati relinquendo, ut una quaeque gradu proxima erant, ita ignominiae obiecta. Hinc omnes circum vicinos passim vis, atque tempestas illa adorta est. — Novissime ad ipsius ferme Europae umbilicum pervagata, tandem huius regni et patriae nostrae adhaesit lateribus. Miretur pater beatissime, qui novit, quo pacto ad tanta, tamque dura patienda potius,

quam propulsanda haec, patria nostra sufficiens fuerit, quae nisi stetisset fide, opibus, reor, non fuisset statura. Jam supra sexaginta numeramus annos, quibus pene continuis furiam illam, facemque bellorum sustulimus, in privatam curam, in privata quoque unius gentis arma conversam. Stetitimus uteunque multis cladibus, bellis, funeribus exhausti, doloribus affecti, occidione occisi. Quantum terroris, pavorisque meminimus, visa saepe numero hostium castra, e muris, flagrantia tecta, ploratibus fora, angustiis omnia completa, praeterea vastationes rurium, lugubres domos, obnoxiae fratrum nostrorum corpora hosti proposita, ludibria victoris: iugum hostile, foedi captivorum agminis miserabilem vitam, utque plura brevi complectar, plusquam hostilia passi, parum praeter arma et animos, libertatis memores, reliqui habuimus; praesertim cum saepe ad extrema periculorum ventum sit, et nescio, an maiora vincula, maioresque necessitates nobis, an captivis nostris fortuna circumdederit. Sed in his, quantumcunque difficilia pati maluimus, quam servire, semperque fidei quam rerum damna maiora duximus. Satis ne igitur iusti doloris occurit? quandoquidem nullum adversum nos praetermissum est crudelitatis genus, et nullum est satis, sive vincimus, sive victi simus: hostis semper instat, utpote, qui maioribus prope adversus nos odiis certat, quam viribus. Nunc quoque hostis ipse, terra, marique magno exercitu, magna mercede coemto, magis supplicium de nobis quam victoriam quaerit, cuius vicinis insultibus citati ad bellum, ne tot malis adderetur culpa, exspectatum hostem adire magis, quam morando adiri statuimus; inferre, ut non patiamur, bella rati. Satis habeamus, vidisse tot sub iugum

missos, sponsione infami obligatos, vectigalia Christianorum capitum, flagitiosas compeditorum nundinas, quotannis religionis nostrae ludibrio ire. Satis inquam, erit pia credulitate et coelesti flagello super tot miserandas terras christiani nominis, busto insignes, exsatiari, in quibus, si quae sunt, tantorum naufragiorum reliquiae, gemunt magis, quam vivunt. Impedimento erat hactenus haec nova vis morbi, intestinae dissensionis, quae nimirum plurimum nostri laboris florem depasta, in eam conditionem propulerat, ut, nec incommoda nostra, nec remedia pati posse videremur; valentes populi huius vires se ipsae conficiebant, nihil amplius, quam suum militem, sua arma horrebant. Nunc vero pater beatissime, expeditis fere omnibus, quae ob residuas bellorum iras, impedita restabant, maiorem tuendae patriae spem, animumque suscepimus. Igitur benignitate Dei sub Sanctitatis vestrae fiducia, inceptu tanta ratione digno opus fuit, cuius ego auctor ipse et tutor executionem aggressus, incitato sponte militi impetum addere paro, restatque, ut non pro ripa Danubii stantes, arceamus transitum hostis, sed ut latius transmigretur, transferaturque bellum, non ad gerendum modo, sed ad finiendum. Quod cum maius futurum sit, quam capere id privatae regni huius opes vel alere privata stipendia possent, spectetque ad sumam rerum libertatis christianae, sicut prioribus litteris, ita et nunc supplico attentius Beatitudini vestrae, cui haereditaria de nobis cura commissa est, quatenus inter alias occupationes suas dignaretur et hanc nostram, imo fidei causam, ante oculos ponere, taliterque curare et providere, ut non hanc inceptam, defectu aliquo perurgente vel remissius agere, vel omnino deserere non compellar,

neve cogar et parta relinquere, cum detrimento et ignominia catholicae fidei et iactura sempiterna. Opibus et numero validi sunt, cum quibus arma conferenda erunt, vereorque, ne cum Teucro inceptum hoc bellum, cum tota Asia gerendum occurrat, quam ob rem spes maior christianae servitutis propulsandae, in perseverantia est. Aut enim non persuaderi bellum debuit, nec suscipi, aut si persuasum susceptumque exstitit, gerere pro dignitate tantae rei et perficere oportet. Perficietur autem, si urgebimus concussos, et si non abscendimus prius, quam spei nostrae finem pulsus Europa hostis imponeret. Non levis causa est belli, quae ad perseverantiam stimulat: toties insultantes hostes, nunquam nisi victi desinent. Nulla cum eis fida conditio esse potest, utile est igitur instare perseveranter, defungique cura. Instabimus autem, si beatitudo vestra perseverantiae nostrae opem tribuet; brevis erit res, si uno tempore ageretur, et si per intermissiones, intervallaque lentiorem spem nostram non fecerimus. Habet iam beatitudo vestra aequalem his stipendiis exercitum, habet milites domesticorum funerum avidissimos vindices, quibus non precaria, sed perpetua arma exstant, adversum illos nostros semper hostes, christiano nomini nunquam amicos. Placeat modo provisionem non postponere, et eum finem, ut liberata Europa et fidei consors et sedis illius gloria fiat, atque decus. Haec dicens, simulque hinc proficiscens recommitto me pedibus Sanctitatis vestrae, quam Altissimus conservet, iuxta vota regimini Ecclesiae suae sanctae. Datum in terra Rasciae alias Serviae, in ipso progressu exercituali prope vadum Danubii, quod vulgo lapideum dicitur, die XVII. Sept. anno Domini MCDXLVIII.

Joann. de Zredna epist. 35.

XLVI.

Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvanus, Siculorum Comes, Comitatuum Zolnok et Temes rursus Comes, supremusque armorum Capitaneus, et Dux militiae christianissimi regis Hungariae (Pancratium de Zakolcha, Capitaneum iuramento sibi fratrem et amicum adoptat). Datum in Temesvár, secundo die festi B. Laurentii Martyris. Anno Domini MCCCCXLVIII.

Apud Kaprinay Hung. Dipl. P. I. p. 119.

XLVII.

Joannis de Hunyad victoria, in campo Kossovo seu merularum amissa, relatio et animi constantia. An. 1448.

Venerabilis Pater, Frater nobis dilecte! Quo pacto eventum rerum nostrarum tuleris, facile coniicimus, quandoquidem eas multo prius gestas audire, quam gerendas orator ipse nunciare potuisti; verum ne varii rumoris, ut fit, te involucra teneant, neve plus temporis turbationi, quam commendatae operae accommodes, placuit, ut saltem de reditu nostro, ac paucis desuper avisamentis, te utcunque solaremur, quibus imprimis certior fias, hac vice nos fortunae magis, quam animi possessione exutos; in caeteris, quae passi sumus, divino, non humano flagello, gloriam, laudemque tribuimus. Pridie penultimam Septembris ab Danubio, te vidente, castra mota fuere. Item deinde et provisum de omnibus, demum tam celeriter in hostem ventum est, ut prius perficere, quam sentire laborem videremur; laborem viae dicimus, non pugnae, nam de constantia pugnae, et ipsi hostiles oculi confiteri poterunt, vix un-

quam pertinaciorem contulisse. Equidem XVII. Oct. coram facie hostium castra metati sumus, praelii, caedisque, principia inita demum altera, quae sexta feria fuit. Primo mane ordines educti, iustaque acie signa collata. Stetit eo toto die nostrorum invictus animus, minus cedens, quo caedebatur durius. Multa clara funera hinc inde edita, tamque solida et constans pugna fuit, ut maiori pertinacia quam vi bellum fervere videbatur. Nemo usque ad tenebras receptui cecinit, nox ipsa sequens furorem et arma diremit, ubi et si parumper resederint acies, ingeniis tamen et machinis tota nocte certatum fuit. Ex hinc Sabbathi subsequente die iterum et usque ad horam sextam protracto certamine, tandem armigeri, perduellesque nostri, utpote longo armorum pondere, longiorisque praelii toedio, item vulneribus confecti atque obruti vapularunt, gloria et area belli penes hostes remanente, quam quidem nos armorum potius quam animorum defectu perdidimus, ipsi vero multitudine et super haec omnia peccatorum nostrorum merito, acquisiverunt. Si laeta vel incruenta victoria fuerit, eis iudicandum relinqnimus, nobis sufficit supernam animadversionem ad eruditionem potius, quam ad internecionem interpretari. Caeterum de persona nostra, si gloriari oportet coram te, recte in infirmitatibus, passionibusque nostris gloriabimur, hostilem pressuram, captivitatem et caeteras fortunas abunde experti, sed iuvat inter haec, quod non ignavo quaestu passi sumus, sed in eo negocio, utpote fidei, in quo nec armis, sed nec morti cedere destinatum erat, ubi cum adhuc idem exstet animus, poterit habere et ipsa fortuna regressum. Ex Turcorum deinde manibus erepti, apud Despotum Rasciae ad hos usque dies restitimus, tanto videlicet tempore,

ut in vigilia festi nativitatis Domini ad hunc locum in medium Dominorum Praelatorum et Baronum, ac Procerum regni Hungariae in eo ipso loco congregatorum venire potuerimus. Inter quos auctore Domino, quod notissime magnum restaurandae fortunae spem tribuit, rectam concordiam ac unionem et caeteras regni res integras reperimus, praesertim vero animos ex hac suscepta clade irritatos magis, quam fractos. Vnde illico nobis mandata provisio fuit ad reassumendam fidei, patriaeque defensionem. Itaque consensimus ultro, restituimusque e vestigio navare operam, curamque, ne longa aut diuturna fiat hostibus quies, ex nostra clade quaesita. Revera non quiescemus et nos, comite vita, donec vel vindictam vel mortem ex eo hoste referre datum fuerit. Quamobrem dilectionem tuam attente requirimus, quatenus et Tu in rebus tibi commendatis agas, uti rectius et efficacius potes. Specialiter vide, si sperare solum et non habere illinc subsidia liceat. Jamiam zelus, si quis est, ad defensionem afflictae satis fidei nostrae, tibi facile apparere poterit, praesertim si Principum illorum conatus ex hoc adverso principio ad ultionem magis, quam ad defectionem ferri conspexeris. Tu vero, quidquid dicatur, apud alios, ex casu isto in nullo despera, nam ampliorem hostes cruorem pro occupanda quam nos pro recuperanda adhuc Macedonia dedimus. Cura solum, ut bono tempore responsa exigas, de quibus suo ordine, sed et de omni statu tuo nos celeriter avisare non postponas, redditurus nobis largam consolationis vicem, si hoc, quod summe optamus, maturasse videberis. Sanctissimo Domino nostro et Sacro Collegio nos recommissos facias, certificando rem nostram minoris esse periculi, quam famae. Vale. —

Data Segedini die penultima Decembris. Anno Dom. MCCCCXLVIII.

Ad Nicolaum Cracoviensem Decanum, regni et suum ad romanum Papam Eugenium IV. epistola Joannes de Hunyad. Apud Zredna l. c. epist. 39.

XLVIII.

Joannis de Hunyad praelium, in campis merularum, Aeneas Silvius ad Nicolaum Papam suomet genio perscribit. An. 1448.

Nicolao Summo Pontifici Aeneas Silvius, infelix nuncium ad regias delatum est aures, scriptisque plurimis confirmatum, in vigilia Sancti Lucae, victores Turcos christianum exercitum prostravisse, nunc rei seriem, uti praedicatur, agnosce. Audita non visa, narramus. Quartus hic annus est ab eo, quo Juliani Sanctae Sabinae Cardinalis, ac Wladislai Poloniae regis felices animae cum pluribus aliis, in bello ad patres migrarunt, cecidisset etiam tunc Johannes, Vaivoda Transilvanus, nisi fuga salutem quaesivisset; at homo Valachus, regionis gnarus et ingenii callidi, periculum quo caeteros irretivit, absque negocio declinavit. Hic postmodum regni Gubernator creatus, grandem exercitum hac aestate coëgit, atque adversus imperatorem Turcarum profectus est. Complures eum Teutones et Bohemi secuti sunt, quos stipendio conduxerat. Nec Turcus orientali sapientia fretus, medio tempore deses fuerat, sed ratus, quod erat, Hungaros minime quieturos, donec ulcisci tentarent, innumerabilem Asia tota comparat exercitum. At Joannes, suam magis, quam hostium metuens multitudinem, neminem sibi parem arbitrabatur, et quasi foeminarum acies, ad-

versarios contemnebat, quamvis militaris disciplina sit, nec timere hostes nimium, nec parvi pendere oportere, ut Comici quoque versus meminisse conveniat: ne quid nimis. Jam campos tenebant Moesiae, quae nunc Bulgaria nuncupatur. Explorata erant Turco Johannis consilia, et quamvis superiorem se nosset, fugam tamen simulabat, sic enim hostes vel insidiis capiuntur, vel successionibus dati minus considerationis habere solent. Aiunt unum ex Turcis exploratorem captum, cui, prioris Scipionis exemplo, monstrari singula Joannes iussit et hominem impune dimissum, referre Turco, quae vidisset. Terruit hostes Joannis factum, remisso tamen homine nunciant Turci, belli se copiam facturos, incensisque interim undique circa se mapalibus amplius fugiunt, locum fortasse oportuniorem quaerebant, ut adversarios tanto inconsultiores redderent, quanto securiores se iudicarent. Insequitur Joannes, cumque proximus esset, nec posse ulterius praelium detrectari videretur, oratores octo ex primoribus Turcorum advenerunt, qui humani sanguinis effusionem detestati, pacem perpetuam et impensas belli, aurique centum millia promittunt, sic me praesente regio culmini iunior Szilagius Com. asseruit, cui ex socero Rasciae Despota illarum partium novitates facile perscribuntur; licet errare, falli atque mentiri, etiam principes queant. Joannes vero successibus elatus, vendi pacem sanguine melius, quam auro putans singula contemsit. Quod postquam Turco relatum est: Testor, inquit, superos, pugnam invitus ineo, nec humanum sitio sanguinem; verum quanto nos gessimus humilius, tanto nobis hora bellorum fortuna secundior erit, hortatusque suos pro patria, liberis ac coniugibus, forti animo praelientur, hoc bello finem

imponi dicit, quoniam victi duobus certaminibus Hungari, restaurare tertium minime possint. Numerum sui exercitus ante oculos ponit, hostis paucitatem extenuat, cum eisque pugnandum asseverat, quorum germanos in eisdem fere locis ante triennium delevissent. Contra Joannes: hodie, commilitones, inquit, aut violenta Turcorum dominatione liberabimus Europam, aut pro Christo cadentes martyrio coronabimur. Quis non ei bello libenter intersit, ubi et vincere pulchrum est, et vinci beatum. Non morabor vos orationibus, quia virtutem viris verba non addunt; quantus quisque is est, tantus in acie solet se ostendere. Ex remotissimis regionibus pugnatum venistis, armati stabitis adversus inermes, christiani adversus infideles educetis gladium. Defendite Christum hodie vestris brachiis et Helespontem ultra reiicite Mahumetum. Fata vos christiana religio venerabitur, quamvis ad praedam potius, quam ad bella descendimus, qui Asiae totius hodie reportabimus opes. Sic animatis utrinque militibus initur bellum, quindecim millia Turcorum, quibus candidae vestes erant, primo concursu caesa feruntur, quorum loco caeteri succedentes atrocissimum praelium commiserunt, ac cum Turci multitudine, Christiani virtute pugnant, tantum sanguinis funditur, ut torrentis instar sub pedibus equorum rivuli cruore decurrerent, sed occidente sole praelium nox subobscura diremit exercitibus ad iactum sagitae separatis, ac tota se nocte missilium turbine infestantibus. Interea non parva Hungarorum manus per tenebras elapsa est, quae secuturae lucis noluit experiri fortunam. Ea res Joanni vires et animos ademit. Caeterum ubi sequens dies illuxit, coorta in cuneos Turcorum multitudo, tam repente munitiones curruum, quibus

imitari Bohemos Hungari confidebant, ensibus invasit et lanceis, ut nullus posset offendi missilibus, sed omnem manibus pugnam cominus oportere, conserere, et pes pede, vir viro premeretur, et sic multitudine fatigati magis, quam victi, inconsulti certaminis Hungari poenas dedere, et Turci victoria sunt potiti. Teutones atque Bohemi ad unum occubuisse narrantur; ex Hungaris circiter triginta millia caesa, ex Turcis ter totidem; sed hoc mihi videtur victis unicum solamen, ne satis victoriam hostibus dimisisse credantur. Joannem quidam salvatum ac montanis nonnullis tueri, quidam inter alios neci datum inter fugiendum, alii Despoti fraude captum, astruunt; veritas apud posteriores reperietur. Sunt qui dicant arte quadam camelos ingentibus flammis ardentes, in Christianos ruere visos, equitatum Johannis perturbasse universum; nonnulli putant Hungaros Ducis temeritate subactos, qui extra munitiones curruum pugnare voluerit, tamquam in munitionibus vinci non posset, quod mihi nulla ratione dictum videtur; sunto enim in curribus Hungari, quis Turcos pugnare compelleret? nec equites rhedarum cursu, nec pedites circumveniri possunt. — Ergo arbitrium pugnae in Turcis erat, illi ut sunt oculati et astu providi, augusti caesaris sententiae meminerunt, qui voluntarie praelium sine praerogativa et spe certae victoriae committentem, aurea piscantem hamo comparat, cui certe plus instat damni quam lucri. Cum igitur Joanni pugna necessaria videretur, quoniam tantum exercitum diu retinere non poterat, extra munitiones praeliari oportuit. Ingentibus insuper Turcorum copiis, haud magnum erat, impletis cadaverum fossis ad currus prolabi, munitionemque dissipare. Nec enim decem millia homi-

uum Turci magni ducunt in bello relinquere. — Vtcunque sit, superasse Turcos, cecidisse Hungaros, constat. Complures ex Baronibus Hungariae desiderantur. Aiunt, qui de magnis maiora loquuntur, Johannis exercitum 70 millium, Turcorum 200 millium extitisse. Indoctior plebs coelestia numina redarguit, quae crucis faverint inimicis, nec in divino conspectu, quid nostra mereantur scelera, pensat. — — Quid scimus nos, qua mente in Turcos sit itum: quidam stipendia, quidam spolia sequebantur, nonnulli vel inviti profecti fuerunt, alii praeter militiam saecularem et inane militis nomen, incorruptibilem gloriae coronam cum aureis commutaturi erant calcaribus. Wladislaus, Poloniae quondam Rex, superatis Turcis stabilire in Hungaria, Joannes aquirere, ut rumor est, regnum putabat, et Ladislaum pupillum et orphanum nobilissimae indolis regem, paterno et avito spoliare nitebatur. Sed est Domino in altissimis eius cura, scriptura perhibente: Tibi derelictus est pauper et orphano Tu eris adiutor. Caeterum si tertio adversus Turcorum perfidiam, iam non Hungariae solius, sed totius christianae reipublicae viribus bellum instauretur, facile Deus nostri misertus, sicut Israelitis, tribum Beniamina delere sceleratam dedit, sic et nobis ad internecionem Turcos prosternere dabit. Sed hoc efficere tui muneris est atque caesaris, pro communi omnium excubare salute. Ideo supplex oro Deum, ut te cum caesare sospitem tueatur, et in adversis fortem praebeat animum, quia valente capite, christiana respublica periclitari non potest. Vale. — Ex nova civitate Austriae VII. Calendas Decembris anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo.

E Cod. MS. Biblioth. Mellicensis Nr. XIII. Apud Pray Ann. Tom. III. p. 70 sqq. — In his plerisque Aeneam Sylvium rumores vulgares, sensaque Joannis de Hunyad aemulorum, captasse perspicuum est: Praefidentiae nimiae fuisse ipsum immunem, litterae, quas dedimus; a regno ambiendo, Ladislaoque pupillo regno spoliando, alienissimum, facta, atque ipsiusmet regis testimonium redurgunt. Nec seu Georgii Despotae seu Friderici relationibus usus est fide dignis. Turcarum non est pacem oblato auro mercari, nec fuit unquam. — Ea propter suos hos errores Pontificatu adepto in Historia Europae de Joanne de Hunyad emendavit. — Caeterum praelio hoc Pannonum et Dacorum decem et septem, Turcorum 40 cecidisse, Chalcocondylas testis est l. c. p. 477. Joannem Gubernatorem duorum mensium et ultra captivitate a Georgio, Serviae Despoto, detentum; Ivanichius innuit l. c. p. 58. „Propter servare honestatem, licet non dicat aliquid de captivitate sua per Despotum facta; tamen in veritate prout notorium est, captus fuit, imo difficillime liberatus est per Praelatos et Barones ac communitatem regni, qui mox audito periculo belli et captivitate sua, celeriter fuerant in Szegedinum congregati, et abinde tractaverunt eliberationem ipsius Gubernatoris." Conf. Dlugoss. l. c. Lib. XIII. col. 28. — Ipsius Gubernatoris litteras, quas Georgio Marnavichio pro sui eliberatione gratias agit.

XLIX.

Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae ac regni Hungariae Gubernator, Comiti Georgio Marnavich, consanguineo suo, cuius opera e Georgio Serviae Despoti captivitate libertatus fuit, gratificatur. An. 1448.

Nos Joannes de Hunyad, Vaivoda Transilvaniae nomine et in persona Serenissimi Principis et Dom. nostri, Domini Ladislai, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiaeque etc. Regis, Austriae et Styriae Ducis etc., nec non Marchionis Moraviae, in praedictis regnis Hungariae, Dalmatiae, Croatiaeque Gubernator constitutus, memoriae mandamus omnibus et singulis, praesentibus et futuris, perpetuis temporibus, quod cum nos post pugnam in campo Kossovo, cum Amurathe Turcarum Sultano commissam, in reditu nostro ad partes Hungariae opera Georgii Despoti Principis Serviae, immemoris immortalium beneficiorum nostrorum eidem collatorum, captivati fuerimus; studio tamen et singulari virtute potentis viri Comitis Georgii Marnavich Nissensis, Comitis perpetui de Zuonik, Sarostaeque regni Rasciae, Domini in Voynizza, carissimi consanguinei, qui suis ex ditionibus collecta valida militum manu ad Zenderowiam urbem, in qua detinebamur advolando, et magnum terrorem dicto Principi Georgio incutiendo, nos ex eius manibus erepti et liberati, regnis nostrae gubernationi commissis, magna virtute, et gloria sua restituti fuimus, eumque praeterea grata recordatione in memoriam nobis redeat, quam fidelem nobis et serenissimo tunc temporis Wladislao, Hungariae regi, Domino nostro optimae memoriae, operam navaverit, quando superioribus annis ipsius consilio et auxilio, bulgarico bello, Turcas ingenti strage, primo ad Morawam fluvium, deinde ad Cunovizam, praesente dicto rege profligavimus, capto ipso exercitus Turcici Duce Hasambego. Repetentes etiam ingentia merita Comitis Goyko, patris eiusdem Georgii, tam erga nos, quam regnum Hungariae, et praesertim olim

serenissimum regem nostrum et augustum Imperatorem Sigismundum felicissimae memoriae. Hinc qui tantorum beneficiorum memores, ut perpetuo esse debemus, ita ex parte debita gratitudine respondere intendimus et volumus, hac nostra pagina semper et ubique virtutem ipsius testatura, damus et perpetua donatione irrevocabiliter transferendo donamus omnia illa oppida, arces, pagos et territoria, quae per dictum Serenissimum Regem Wladislaum nobis pridem donata fuerunt, in Comitatibus Cucievo et Branicevo, praesertim vero oppida cum suis arcibus Jagodnam, Raxgnum, Lomniczam, Strazam, Constantinovum, Postranam, Bokouskum, Quozdoniczam cum ipsis primariis locis Cucievo et Branicevo, aliisque oppidis interioribus, villis, pagis, mansionibus, eorumque omnibus pertinentiis, montibus, pratis, silvis, fluminibus, eorumque decursibus et promontoriis, a ripa Morawae ad Danubium, indeque ad terras Dominii urbis Nissensis, antiquissimi patrimonii familiae suae Marnavich, ad cuius dispositionem, liberumque dominium omnem auctoritatem, iurisdictionem, in eisdem locis omnibus et singulis, a dicto rege nobis datam et donatam, perpetuo transferimus sine ulla conditione, limitatione, eundemque Comitem loco et in persona nostra, sicut posteritatem eius in perpetuam possessionem dictorum locorum introducimus et introductum manutenemus. Datum Segedini anno millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo — die XVIII. Decembris.

Pugna ad Cossova seu campo merularum (Rigo Mezeje) in Rascia fuerat 17—18. Oct. anno hoc infeliciter a Joanne Gubernatore depugnata contra Amuratem Turcarum Prin-

cipem. Cf. eiusdem epistolam ad oratorem suum Romam scriptam, apud Zrednam epistola 39. Donationales has transcripsit et confirmavit filius eius Mathias Rex Hungariae Anno 1459. — Ex Not. Praelim. Barth. Kerchelich pag. 272. —

L.

Idem Gubernator animum suum ad bellum contra Turcos restaurandum paratum, datis ad Nicolaum Decanum literis aperit. An. 1449.

Venerabilis Pater! Accepimus hesterna die litteras tuas, legimusque in eis, et personae et mentis tuae statum, ac simul, quo affectu de incolumitate nostra curam geras. De his, quid respondere tibi persuaderet animus, ad te referimus, qui et cordis et mentis nostrae, affectionisque, pater, plene conscius, tecum ipse super his saporosius colloqui potes. Verum de incolumitate et statu nostro illud paternitati tuae nunc putamus sufficere, quod nuper circa exitum Decembris amplis satis literis ad te perscripsimus. Caeterum ubi inter armorum novissimos casus animum quoque nostrum obtritum reformidans, hunc per easdem litteras erigere paras; id equidem paternaliter amiceque facis; verum, tamen sine dubio credere potes, quod ad curandam, agendamque defensionem christianam nunquam nobis deerit animus, modo non desit facultas; prout super his praetactis superioribus litteris nostris paulo clariora tibi avisamenta denotavimus. Curet igitur paternitas tua, ut facultas renovetur magis, quam animus. Nos quantum possumus, iam iam initia struimus, aggregamusque; quoniam licet haec, quam suscepimus, laesio magna reputari debeat; non tamen adeo adhuc mor-

talis est, quin si alimenta aderunt, recentius valeamus resurgere. Ad quod quidem, quum ex praetactis literis tuis etiam voluntatem, curamque SS. D. N. summi pontificis bene dispositam intellexerimus, videat paternitas tua, ne deficiat sollicitudo ad ea, quae amplius te agere, efficereque melius oporteat, utque brevi responsum habeamus. Datum in Temesvár XXIV. Januarii anno Domini MCCCCXLIX.

Apud Schwandtner l. c. epist 42.

LI.

Idem Gubernator ad Regem Romanorum Oratorem ablegat. An. 1449.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator. Quia Judaei, apud vos (Posonienses) habiti, per certa tempora erga vos extitissent impignorati, simul cum ipsorum censibus, et uti percepimus, terminus dudum praeteriisset, sicque iidem rursus in regiam Maiest. simul cum eorum censibus essent condescendendi; idcirco vestris dilectionibus harum serie firmiter praecipiendo mandamus, quatenus agnitis praesentibus universa iura vestra superinde confecta et emanata, in praesentiam dominorum Praelatorum et Baronum, abinde ad Dominum Regem Romanorum accedendorum, dum in vestram civitatem pervenerint, producere debeatis. Et si iidem Domini ex huiusmodi litteris vestris praenotatum terminum praeteriisse repeperint, extunc eosdem Judaeos reg. Maiestati simul cum eorum censibus remittere et appropriare debeatis. Si autem non exspiratum fore repererint, extunc erga manus vestras teneatis, sicut hucusque, donec adimplebitur terminus praefixus. Datum Budae feria sexta proxima ante Dominicam

Quasimodo geniti. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono.

E MSS. Cornides. Tom. XII.

LII.

Idem Gubernator statum regni ac consequenter suum ad PP. notitiam perfert. An. 1449.

Beatissime Pater et sanctissime Domine. Quum his diebus magnificus D. Gubernator regni, quibusdam suis expeditionibus occupatus, mandasset mihi, ut aliqua de rebus suis ac regni, item de intentione quam haberet, quidque consequenter in votis gereret, suo loco et nomine ad Sanctitatem vestram scriberem et ei notificarem, quamvis res ipsa alium et magis clarum relatorem apud S. V. exposceret, volui tamen in hac parte voluntati ipsius D. Gubernatoris non abesse, ne forte negligendo, viderer officere. Itaque noverit Beat. V. statum regni huius et consequenter dicti Domini Gubernatoris satis turbulentum, tumultuosumque esse: pavoris, pressuraeque indicia plurima non instant modo, sed exstant. Nam infideles a foris, intrinsecus vero Bohemi Hussitae, insultus et parant et inferunt, et quod his fere deterius timetur tertium ruinae genus: interna dissensio pro foribus seritur; quae si exsurrexerit, nihil addi periculorum nostrorum cumulo poterit. — Verum inter haec praefatus Dom. Gubernator nunc adversus fatos Hussitas parata arma exercet, ut si quomodo vel sedare insultus eorum, vel exstirpare et opem ferre potentior videretur. Quantum vero de parte Teucrorum: durant bella, restantque. Nam licet considerata qualitate temporis, visum nuper fuerit, treugas pacis tractare cum eis et suscipere,

adverso, ut dixerim, mediatore, hactenus perperam usi, rem infectam retulimus. Is etenim mediator (Georgius despota) uti dicitur, nostra pace sibi bellum timebat conficere — — — Haec sunt, pater beatissime, quae in rebus his de mente antefati D. Gubernatoris accepi, de quibus etiam late contuli cum venerabili patre meo, fratre Valentino, poenitentiario S. V. ex cuius relatibus poterit B. V. his clariora accipere, cuius pedibus me humiliter recommitto. Ex Waradino XX. die mensis Octobris, anno Domini Millesimo quadringentesimo XL. nono. Joannes, Waradiensis Episcopus.

Apud Schwandtner pag. 49. Bellum atrox contra Bohemos Hussitas, Duce Joanne Giskra, possessiones Hungarorum depopulantes, interventu Polonorum, Joanne Zagorzerki, Magistro curiae reginalis, ac Joanne Dlugosch, Canonico Cracoviensi, nomine Casimiri regis agentibus interceptum, concordia festo Andreae circa Cremniczam inita. Dlugoss. Lib. XIII. col. 51. Felicius res contra Georgium, Serviae Despotum, gestae, nam, ut Thuroczius scribit: „Dominus Gubernator ingratitudinem despoti non minus, quam suae captivitatis calamitatem ponderans, resumtis armis et milite, despoto ab eodem eius delicti condignas exigere poenas processit, invectusque forti in manu eius dominii in agrum, magnas in illo edidit vastitates, omnibusque castris et dominiis illius, quae regni Hungariae ambitus cingebat, illum spoliavit. Et amplius in illius laborasset destructione, nisi despotus filium eius ipsi incolumem restituisset, Hungariaeque Primores tumentem eiusdem D. Gubernatoris in vindictam animum, per Despotam petiti, non compescuissent.“ Chr. P. IV. cap. XLVII.

LIV.

Idem Gubern. regem electum ac metas, regni item Palatinum captivum, libertati restituendum a Friderico R. rege requirit. An. 1450.

Beatissime Pater! Evocati necessitudine publica, ac simul oportunitate curandi status communis, his diebus anniversariam ab instituto conventionem egimus, revolentes plurimam rerum copiam, quam conservandae patriae gratia hoc tempore nostrae rationes expostulant. Quo intenti, dum figere modum, ordinemque rebus gerendis paramus statuere, subeunt curiae aliae post alias, dum regni arcem et sedem orbas conspicimus sine capite, sine rectore, cui ius retinendae Maiestatis aptius incumberet, apud quem beneficii, gratiaeque locus, item iuris dandi modus stabilis esset. Dediti eo mentes cum oculis fuere, ut variis voluntatibus submotis, regem omnes mallemus, lumen rebus dubiis futurum, praesidiumque afflictae rei. Ita demum patriam quietam fore, ita aequales leges arbitrati, si eo auctore, sua quisque iura ordo, suam Maiestatem teneret. Nam hactenus in eo ordine parum grata fortuna nostra constitimus, in quo dimicare non magis cum hostibus, quam cum molestiis sociorum opus fuit, adeo certe, ut ferendi remedii et perferendae turbationis difficultas, plerumque in aequo esset. Quorsum haec, beatissime pater? Novit equidem B. V. quanto iam tempore dissimulare cogimur aegritudinem nostram, quae rebus, cordibusque nostris quotidiana se impressione subducit, fota et enutrita ea iniuria, in qua cum detentione, ut ita dicamus, personae incliti Dom. electi regis nostri nostrum quoque honorem captivum pati cogimur. Mediavit inter hac re

apostolicae sedis et S. V. legatus, suique item aliorum plurium labores exacti, ut apud D. Romanorum regem aequalem in aliquam tanti vinculi absolutionem statuerent. In quo nobis prona semper mens fuit, omnes aequas possibilesque conditiones pacis excipere, quippe ne hoc incommodo in irritum cedentis spei praeter ius et fas amplius torqueremur. Verum quid exinde secutum sit, fata varie hactenus hinc inde certamina indicant, in quibus nihil necessitati nostrae aequum, nihil frugiferum, sed vocis, verborumque, quantum volumus, mediatores nostri ingerunt, referuntque; ita ut nec certam pacem, nec bellum ex eis plerumque coniicere valeamus. Videmus tamen evidenter, tentari magno studio patientiam nostram, tentatamque magno studio contemni; quandoquidem ipse D. Rex Romanorum quotidiana ferme arma finibus nostris circumferri iubens, post iura laesa ac Maiestatem Regni nostri oppressam, animos etiam opprimere parat; parum pensi habens ex incommodo alieno suam occasionem peti. Transivimus hactenus, B. P. haec et alia conniventibus oculis, spectatoresque magis, quam ultores tantarum indignitatum, eo usque videri maluimus, rati, sera etiam, modo sint vera remedia, non aspernanda. Sed quoniam nec tot laboribus et neque incommoditatibus nostris, quae nobis praeter vacans regale solium unde quaque diaetim proruunt, imo ut apertius dicamus, nec iure, nec iniuria praefatus Dom. Rex Romanorum moveri potuit, ut vel paullisper cederet proposito suo, utque vel nunc praefati D. electi regis nostri et in ipso omnium nostrum libertati sua tempora indulgeret; utpote ad quam diutius retinendam parum plus iuris quicquam praeter vim et velle, habere videtur. Idcirco ne confessionem

cedentis pars altera sibi pro victoria ducat; non ab re visum est in eo facto, novam et superabundantem instantiam altiori praeconio iterare. Existimantes autem, uti ex vero est, nec salubriorem interpretem iuris et iniuriarum nostrarum, et neque magis fidum magisque veracem arbitrum concordiae ac pacis nostrae communis extra sanctam apostolicam sedem reperiri posse; opportune placuit et in hoc ad eius media et praesidia recurrere, fortasse vel eo ordine, eoque pacto praefatus Romanorum Rex tantis laboribus nostris exsatiatum se sentiens, saltem aliquando nexus ac vincula tantarum iniuriarum, si non scindere, utinam dissuere patiatur. Quamobrem humiliter supplicamus B. V. quatenus rem istam, differentiamque, item caetera omnia, quae exinde secuta, secutura videntur, attentius ante oculos apostolicae providentiae ponat. Nobis quidem nihil digni obiectum iri credimus, in quo parti alteri iuste quicquam debeamus, nisi forte, si sibi inferendi, nobis vero perferendi iniurias, ius indici velit, quo contra ab illinc prius vis et arma illata, ab illinc denique aedibus faces iniectae et super haec caetera nonnulla alia aliis cumulata. Tria tamen potiora inter tot nunc prosequenda manu cepimus, in quibus uti praefati sumus, S. V. curam et praesidium invocamus. Primum de D. electo rege nostro, item meritis et iuribus regni; praeterea de captivitate indigna magnifici Palatini nostri. In his P. B. quamvis factu optimum esset, si B. V. facta partium cognosceret, iras expediret, rursusque eas in gratiam restitueret, quia tamen toties tentata res ista parum hactenus praemium laboribus detulit, visum non fuit, ut S. V. in hoc aliquo alto labori implicari sineremus. Opus est solum, idque tantum, nunc a V. B.

obtinere cupimus, ut S. V. super illa omnia, quae in re differentiaque ipsa eo usque acta, digestaque sunt, velit adhuc ex abundanti instantia nostra, vel per litteras apostolicas vel oratorem ad hoc idoneum praefatum D. Romanorum regem commonere et inducere, ad idque regem et dirigere, ut vel nunc cedat iuri ac voto nostro, iustoque debito suo, utque imprimis praefatum D. nostrum electum regem libertati, dignitatique suae restituat, qui dono Domini iam in eam aetatem prope diem concensurus est, ut habere potius, quam sperare regnum mallet; — quodque de integrandis metis regni ac de libertate praefati D. Palatini aequas iure nostro conditiones non refugiat. Haec sane erunt, quae ad paciscendum viam et modum praestare possunt, in quibus, si spes destituat, alia praesidia moliri opus erit. Et ut B. V. magis de his, quae verisimiliter futura sunt, avisata existat, verendum est, ne forte in casu, quo haec differentia diutius perduraverit, provocata tanto contemtu laesorum corda ipsius differentiae cruentum humano sanguine finem vel pati vel statuere properabunt. Ad quod decernendum nos quidem sicuti hactenus ita et deinceps, in suadendo vel admittendo praecipites non erimus. Verum tamen accidere potest, ut contemtus commoveat animos, ubi laesis in iure parum praesidii videbitur. Acceleret igitur B. V. provisionem oportunam ad summovendum talem hunc indignum Christianorum rebus eventum, cui post Deum sola mederi potest, nec reputet nos res, iniuriasque nostras aequo gravius extulisse: in quibus si negligentiores fuerimus, non solum parum consuluisse, sed potius statui nostro invidisse videremur. Recommittimus nos pedibus S. V. quam Altissimus conservet feliciter regimini ecclesiae suae

sanctae. Datum in congregatione nostra Pestiensi, XV. die mensis Junii, anno Domini MCDL.

Apud Schwandtner Tom. II. p. 89. Effectus harum fuerant induciae cum Friderico Rom. Rege Posonii initae: „grandis se ingessit disputatio, inquit Haselbachius, Scriptor Synchronus apud Petz, Tomo II. col. 368. „Resederat tandem finaliter in hac sententia, quod Ladislaum regem rex Romanorum vel ad Viennam sub tutela constitueret, ut omnibus suis regnis et dominiis liber aditus pateret, in quo omnes resederunt." At nec hoc transiit in effectum. — Gubernator anno hoc civibus Posonien. annuos fisci regii proventus, ob conservationem et custodiam contra infestatores, pro tempore gubernationis suae, remisit. Datum in Thur feria IV. proxima post Dominicam Ramis Palmarum." Anon. Vind. contra Novák p. 239. — Necessitates regni ita attigit: „Premimur revera magnis oneribus regni, nam ultra regalem curiam, quam opportunis salariis promovemus, oportuit etiam hoc tempore peregrina alere auxilia pro defensione rerum et status regni conducta, quibus iam fere exhausti sumus." Apud Schwandtner Ep. 64. Sententiam, quam contra Georgium Serviae Despotum, atque Albaniae Dominum, huiusdem literae meminerant, v. apud Katona Hist. crit. T. XIII. 734.

LIV.

Idem Gubernator cum Friderico Romanorum Rege inducias pacis gratia conficit. An. 1450.

Nos Joannes de Hunyad, incliti regni Hungariae Gubernator, cupientes pacem et quietem cum universis Christi fidelibus et praesertim cum Serenis-

simo Principe D. Friderico Romanorum Rege semper augusto, Austriaeque et Styriae etc. Duce, Domino nostro gratioso, omni sollicitudine gerere et habere, et quum pridem inter eundem D. Fridericum Rom. Regem ex una, ac nobis et dictum regnum Hungariae, partibus ex altera, plurimae differentiae et dissensiones subortae existant, ex quibus devastatio terrarum et plurimorum depauperatio, proh dolor! evenerunt, Nos ne similia inter praefatum D. nostrum Fridericum Rom. regem, subditosque suos, ac nos et praedictum regnum Hung. futuris temporibus denuo suboriri contingat, quin potius utrinque pace et quiete fruamur optata; nos cum eodem Dom. nostro Rom. rege super infrascriptis Capitulis convenimus et concordavimus in hunc, qui sequitur, modum. Inprimis, quod nos praenominatum Dominum nostrum Fridericum Rom. regem, in tutela serenissimi Principis D. Ladislai Hungariae regis etc. patruelis sui, et conservatione coronae eiusdem regni Hungariae non impediemus, directe vel indirecte, publice et occulte, per nos vel per alium, neque maiestatem suam regiam a quoquam alio in hoc impediri seu molestari patiemur, vel consentiemus, quovis modo, sed ut ipsi Dom. rex Ladislaus unacum praedicta corona in et sub tutela, cura et potestate dicti Dom. nostri Friderici Rom. Regis, usque ad legitimam aetatem suam, videlicet decem et octo annorum, aetatis suae completae permaneat, suae regiae maiestati auxilio, consilio et favore assistemus, dolo et fraude semotis quibuscunque; quodque nos praefatum Dom. nostrum Rom. regem et suos in castris, civitatibus seu oppidis, quae sua regia Maiestas et sui in praesentiarum in dicto regno Hungariae cum eorum pertinentiis tenent, nullatenus impedie-

mus aut per quemcunque alium impediri procurabimus, seu consentiemus, publice vel occulte, directe vel indirecte, sed ut illa in dicti D. nostri Rom. regis et suorum potestate, usque ad praefati D. regis Ladislai aetatem legitimam pacifice et quiete permaneant, et si fortasse suae regiae maiestati in praemissis et contra ea impedimentum aliquod per quemcunque praestari aut inferri seu attentari contingeret, eidem suae Maiestati in praemissis et contra eadem, seu tales auxilium, consilium et favorem impartiemur, et impartiri volumus et debebimus opportunos, dolo et fraude cessantibus quibuscunque. Insuper pro salubri, quieto et pacifico praefati regni Hung. statu, dictique D. Regis Ladislai et eiusdem regni, quod in castris, bonis et redditibus multipliciter distractum et damnificatum reperitur, utilitate et eorumdem recuperatione et restauratione, per nos, uti speramus, consequendis, praefatus D. noster Rom. Rex in et ad gubernationem nostram in praedicto regno Hungariae usque ad praetactum tempus legitimae aetatis dicti D. regis Ladislai suum consensum et assensum praebendo, nos in gubernatione dicti regni Hungariae usque ad tempus praetactum nullatenus impedire debebit, neque per quempiam procurabit impediri; quin imo contra tales, nos in eo impedientes seu impedire attentantes, nobis auxilium consilium et favorem praestare debebit opportunos. Praeterea praemissorum aut alia quacunque occasione, praefatus Dom. rex infra praetactum tempus nullam nobis aut nostris guerram seu litem movere neque per suos aut alios moveri procurare debebit, et moveri seu procurari scienter consentiet. Similiter nos praemissorum seu alia etiam quacunque occasione praenominato Dom. nostro Rom. regi et suis

viceversa infra praescriptum tempus nullam guerram aut litem movere, neque per nostros aut alios quoscunque procurare volumus, nec debemus seu moveri, aut procurari scienter consentiemus. Quin potius sinceram et puram pacem, concordiam, unionem et intelligentiam per praefatum tempus fideliter et bona fide mutuo tenebimus. Quum vero praedictum D. regem Ladislaum ad praefatam aetatem suam legitimam pervenire continget et praedictus D. noster rex Fridericus eum emancipare deliberaverit; idem D. noster rex Fridericus illud primum nobis intimare et significare habebit, itidem sine nobis seu scitu nostro minime faciendo, nosque eo tunc erga eumdem Dom. regem Ladislaum auxiliis et consiliis prosequi habebit opportunis, dolo et fraude in his omnibus procul motis. Praedictam itaque pacem, unionem, concordiam et intelligentiam nos Joannes de Hunyad Gubernator praefatus cum praefato Domino nostro rege Friderico animo deliberato, et ex certa nostra scientia sponte inivimus, promittentes, sub honore et pura, sincera et christiana fide, ac humanitate nostris, illam in omnibus et singulis suis punctis, articulis et capitulis inviolabiliter observaturos; nihil contra id ullatenus faciendo seu attentando aut fieri aut attentari procurando, quovis modo. Casu etiam, quo praefatum Dominum nostrum Rom. regem aut nos Johannem de Hunyad aliquam concordiam seu inscriptionem quamcunque cum praefato regno Hungariae seu praelatis et baronibus et inhibitoribus ipsius inire aut facere contingeret; illam praesenti inscriptioni et unioni nimine obesse; quin imo praesens inscriptio in suo robore nihilominus permanere debebit, dolo et fraude cessantibus quibuscunque. In cuius rei testimonium praefatus Dom.

noster rex Fridericus et Gubernator, praesentes literas sigillorum nostrorum iussimus appensione muniri. Datum Posonii feria quinta post festum XI. millium martyrum virginum, anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo.

E MSS. Cornides. Tom. XI. Vnio haec impedivit Johannem Gubernatorem, a motibus, queis Austriaci et Bohemi Ladislaum Posthum. a Friderico repetierant, adiuvandis.

LV.

Georgius, Rasciae Despotus, cum Joanne Hunyad se unit et affinitatem contrahit. An. 1451.

Nos Georgius, Dei gratia regni Rasciae Despotus et Albaniae Dominus etc. Memoriae commendamus significantes tenore praesentium, quibus expedit, universis, quod, quamvis a tribus citra vel paulo ultra annis inter nos ex una et magnificum Joannem de Hunyad, regni Hungar. Gubernatorem etc., parte ex altera, nonnullae dissensiones, disturbia et differentiae subortae sint, pluraque gravamina hinc inde procreata fuerint et commissa, super quorum complanatione, rectificatione et submotione diebus superioribus transactis per medium nonnullorum Dominorum Praelatorum et Baronum dicti regni Hungariae pro parte utriusque partis laborantium certae dispositiones intervenerunt. Quia tamen nunc ratione nonnullorum negociorum inter nos ex una et praetactum Dominum Joannem Gubernatorem ex altera partibus iterato gravis dissensionis, guerrae et odii materia suborta fuerat; idcirco ne huiusmodi nova dissensionis causa, in maiorem discriminis flammam succresceret, Reverendus in Christo Pater, D. Joannes, Episcopus Ecclesiae Varadiensis, ac magni-

fici Domini Ladislaus de Gara, dicti regni Hungariae Palatinus, Nicolaus de Ujlak, Vaivoda Transilvanus, ac Comes Ladislaus de Palócz, Judex curiae regiae, ex nostri ac eiusdem Domini Joannis Gubernatoris pari consensu et voluntate, nec non ex deputatione aliorum Dominorum Praelatorum et Baronum dicti regni Hungariae, sese inter nos et eumdem Dominum Gubernatorem pro concordia et pace partium interposuerant. Qui quidem in huius pacis et concordiae facto his diebus pluribus laborantes et mediantes novissime inter alias vias et media, quae pro ipsa pace et concordia conficienda deducta fuere, cupientes ipsi domini mediatores non solum ea, quae in alterum commissa sunt, reformare, verum etiam omnem fomitem et materiam rancoris vel odii, ac etiam totius malivolentiae de cordibus partium omnino evellere et extirpare, infrascriptum vinculum ac foedus matrimonii et affinitatis atque perpetuae et sacramentalis unionis inter nos et eumdem Dominum Gubernatorem, dominamque nostram et suam iniecerunt et composuerunt, componique debere arbitrati extiterunt. Nos etiam ad consenciendum huic compositioni foederis, matrimonii et affinitatis, ac ad ipsam perficiendam plurimum suis consiliis induxerunt, quo scilicet singulari foedere crediderunt ipsi domini mediatores, sicut semper in talibus rebus credi solitum est, tum ob sacramenti matrimonialis gratiam ac meritum, tum vero ob sanguinis uniendi et affinitatis inde secuturae affectum dissidentes, purgatis cordibus, eductisque odiis et rancoribus, ad caram et veram magis posse concordiam pervenire. Huiusmodi igitur occasione et hoc ipso respectu permoti et dictorum Dominorum mediatorum inductioni acquiescentes, volentes etiam nos et

dominam nostram ad ipsius Domini Gubernatoris amicitiam, perpetuo obligare et obligatam efficere, praesertim vero propter bonum pacis et concordiae, nostra spontanea et beneplacita voluntate, illustrem et generosam puellam Elisabeth neptem nostram, nunc in decimo anno constitutam, filiam videlicet illustris Principis Domini Vlrici, Dei gratia Ciliae, Ortemburgae et Zagoriae Comitis, et Dominae Catherinae, filiae nostrae progenitam, qua scilicet puella, ex annuentia et concessione eorumdem parentum ipsius puellae, sub cunservatione, procuratione, dispositione et potestate nostra existit, eam egregio Mathiae, filio annotati Dom. Joannis Gubernatoris ritu sanctae christianae Ecclesiae sacri matrimonii foedere dare assumimus et disposuimus in consortem, imo exnunc damus, ipsamque puellam Elisabeth ad tempus copulandi legitimum in die scilicet festi beati Nicolai Episcopi et Confessoris, in anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio venturo antefato Mathiae, filio ipsius Domini Gubernatoris, peracta prius solemnitate sponsaliorum et nuptiarum ad traducendam reddemus, aut quod Deus avertat, nobis interim e seculo migrantibus, illustres Domina Jerina consors, nec non Georgius, Stephanus et Lazarus, filii nostri seu alter eorum, qui ex iis superstes manebit, quorum videlicet dominae consortis et filiorum nostrorum, nec non etiam inclitarum et generosarum Dominarum Catherinae praedictae consortis dicti Comitis Vlrici, et Margarethae, filiarum nostrarum, sed et puellarum Elisabeth praedictae et Margarethae, filiae dicti Lazari, filii nostri ac aliorum quorumlibet — — — quos praesens negocium et ea, quae subnotantur, quomodolibet concernerent, super nos et haereditates nostras uni-

versas in dicto regno Hungariae habitas et existentes, recipimus, puellam ipsam dicto Mathiae, filio Domini Gubernatoris reddent, et nuptias ipsas perficient termino in praefixo. Volumus tamen, ut dum et quando volente Domino praefata puella Elisabeth neptis nostra in domum dicti Domini Gubernatoris traducetur, ipsa in ritu fidei Graecorum permaneat et semper cum ea, et in eius obsequiis stent presbiteri ex Graecorum ritu, ac nobiles et etiam dominae et puellae, quos nos et filii nostri ad hoc eligere maluerimus et voluerint. Et ut ipse Dominus Johannes Gubernator ac egregii Ladislaus et praefatus Mathias, filii eiusdem, in huiusmodi nuptiarum perfectione et affinitate, futura certiores efficiantur, confisique de eadem et amicitia exinde secutura voluntati ac votis nostris eo diligentius aut studiosius se coaptare et conformare valeant, tale vinculum pro promisso adiecimus, ut ubi nos et nobis interim decentibus domina consors ac filii nostri seu alii, quorum intererit, eorum propria voluntate aut cuiuscunque consanguinei praescriptae puellae Elisabeth impedimentum et contradictionem allegantes, seu id iudicio ecclesiastico aut saeculari immiscendo, aut etiam ipsa puella Elisabeth eo tunc fortasse dissenciente, cuius voluntatem per hoc vinculum cogere non intendimus, et generaliter qualicunque de causa aut cuiuscunque vel quorumcunque impedimento interveniente, ipsam puellam Elisabeth antefato Mathiae ad praefixum terminum ad traducendam non redderemus, seu non redderent, aut reddere non possemus vel non possent; praescriptasque nuptias non perficeremus, aut non perficerent; extunc castra, civitates, oppida, possessiones et villae nostrae ac filiorum nostrorum praedictorum, videlicet Mun-

kacz in Beregh, Nempti, Zathmar, et Azzonpataka in Zathmariensi, Debreczen et Bezermen in Bihoriensi Comitatibus adiacentes, nunc erga manus praefati Dom. Joannis Gubernatoris et filiorum suorum certa et rationabili ex causa habitae et existentes, praeterea Kwlpum, Zavazentdemeter, Zalankemen et Zemlen in Sirmiensi, Beche et Bechekereky, in de Thoronthal, Erdsomlya in de Krassó, nec non Wilágoswár in de Zarand Comitatibus adiacentes et habitae, cum omnibus possessionibus, portionibus possessionariis et praediis ad ipsa et easdem spectantia, et pertinere debentia, nec non tributis vbilibet in eisdem exigi consuetis, et generaliter cunctis earum utilitatibus, qualitercunque appellatis, in ius et proprietatem perpetuam antefati Domini Joannis de Hunyad dicti regni Hungariae Gubernatoris, ac filiorum eiusdem praedictorum, ipsorumque haeredes universos propter dedecus, quod per non adimplectionem praemissarum nuptiarum seu per hoc, quod ea, quae superius in facto dictorum sponsalium et matrimonii condicta sunt, ad effectum quocunque casu non deducerentur, eisdem et dominio ipsorum inferri et evenire posset, nec non etiam pro laboribus, expensis et damnis et interesse remaneant et remanere debeant eo iure, quo nos et dicti filii nostri ipsas et easdem usque modo tenuimus et possedimus, in sempiternum possidendae et habendae. Nihilque iuris, dominii et proprietatis in eisdem nobis et dictis dominae consorti ac filiis, filiabus et nepotibus nostris, vel eorumdem posteritatibus in hoc casu remaneat, seu reservetur, sed omne ius nostrum ac eorumdem dominae consortis, filiorumque et prolium nostrorum, quod in eisdem habemus et habent, in ipsum Dominum Joannem Gubernatorem et filios suos per-

petue transferatur et devolvatur eo facto, castellanique et officiales nostri, ac consortis, filiorumque et prolium nostrorum in praescriptis nostris castris, civitatibus, oppidis, possessionibus et tenutis, videlicet Kwpwn, Zauazentdemeter, Zalankemen, Zemlen, Beche, Bechekereky, Erdsomlya et Wilágosvár ac earum pertinentiis constituti et constituendi, ac etiam in dicto castro Munkaz, comitatibusque et oppidis ac possessionibus Nemty, Zathmár, Azzonpataka, Dubruczen et Bezermen, earumque pertinentiis, si interim ipsas et eadem a manibus dicti Dom. Guberuatoris et filiorum suorum pro nobis recuperemus et reapplicaremus, similiter constituendi, nobiles scilicet et possessionati Hungari homines, quos videlicet Hungaros et non alios nos et dicti domina consors et filii et proles nostri in eiusdem castris, civitatibus, oppidis ac possessionibus et tenutis, interim in castellanos et officiales sub praetacto vinculo constituere promisimus, et tenebuntur nobis et eisdem, domina consorte, filiisque et prolibus nostris irrequisitis, quibus exnunc hoc ipsum faciendi facultatem et expeditionem de consensu et voluntate praedictorum consortis et filiorum nostrorum damus et tribuimus, dicta castra, civitates, oppida, possessiones, portionesque possessionarias, praedia et tributa, ac tenutas nostras ipsi Domino Joanni Gubernatori et filiis eiusdem, aut eorum hominibus, per ipsos ad id deputatos, dare et assignare debeant et teneantur, per eumdem Dominum Gubernatorem et filios suos ipso iure perpetuo possidendas et habenda. Promittimus insuper, similiter sub vinculo praetacto nos et dictam dominam consortem ac filios et proles nostros obligamus, ut dictos nostros castellanos et officiales nunc constitutos et in futurum constituen-

dos ad sancta Dei evangelia iurare faciemus, ac ipsi domina consors et filii nostri facient, ut ipsi in hoc casu, quo nos et iidem praescriptas nuptias modo praenarrato non perficeremus, seu non perficerent, praetactaque puella, si ei vita comes fuerit, in domum praefati Domini Gubernatoris et filii sui praetacti non daretur vel dari non posset, extunc iidem castellani et officiales castra, civitates, oppida, possessiones, portionesque possessionarias, praedia, tributa et tenutas nostras antedictas, mox praescripto festo beati Nicolai Confessoris elapso ipsi Domino Johanni Gubernatori et filiis eiusdem dare, assignare debeat et teneantur. Qui quidem castellani et officiales super redditione et assignatione eorumdem in manus ipsius Domini Gubernatoris et filiorum suorum fienda, vigore praesentium expediti sint et habeantur. Nec iidem castellani et officiales propterea per nos ac dominam consortem, filios et proles nostros coram iudice saeculari aut ecclesiastico in iudicio debeant seu possint impediri, hoc expresse declarato, ut si infra praescriptum terminum, diem scilicet festi beati Nicolai Episcopi et Confessoris, iam fati Mathias, filius dicti Joannis Gubernatoris, et puella Elisabeth neptis nostra ex saeculo, quod Deus avertat, migraverint, vel alter vel altera ex iis migraverit, extunc praetacta obligamina ratione ipsarum nuptiarum tam scilicet in facto dictorum castrorum, civitatum, oppidorum, possessionum et portionum possessionariarum, tributorum, pertinentiarum, quam in aliis superius specificatis modo praenarrato, adiecta et imposita mox cassentur, annullentur, invalidaque et nullius vigoris habeantur, obligamina tamen in facto infrascriptae amicitiae, unionisque et benevolentiae, stabilitatem semper ac per-

petue in earum vigoribus permaneant et robur habeant perpetuae firmitatis. Praeterea in ampliorem benevolentiam et dilectionem praefato Domino Johanni Gubernatori et domui suae ostendere et observare intendimus, similiter promittimus, etiam coram Deo coeli et beatissima virgine matre, omnibus sanctis eius, quod a modo in posterum praefato Domino Joanni Gubernatori et filiis eiusdem in hac vita durante ac in ipsa pollicita nobis benevolentia, unione et dilectione permanentes abiecto, prorsus semoto omni rancore, omni odio, omni dissensione, omni denique malevolentiae radice et fomite, quae hactenus ex quacunque causa vel quocunque gravamine, instigante aut exigente, in animo et corde nostro, vel conceptae fuissent vel durassent seu permansissent, sinceram, veram, stabilem, cordialem et perpetuam amicitiam, unionem, benevolentiam ipsi Domino Joanni Gubernatori ac filiis eiusdem, nec non omnibus nobilibus et aliis, familiaribus scilicet suis, cuiuscunque conditionis existant, nisi aliquis ex eisdem nobilibus et familiaribus suis praeter voluntatem eiusdem Domini Gubernatoris et filiorum suorum contra nos notabiliter excederet, vel nobis adversaretur, recto et purificato corde observabimus. Nosque imo etiam praefatos dominam consortem et filios nostros, eisdemque nunc praesentibus et consentientibus, quanto efficacius, strictius et melius possumus, ad huiusmodi amicitiam et benevolentiam modo quo supra, observandam obligamus sine omni dolo et fraude. Ad quae omnia promissa et quaevis promissorum singula per nos et filios nostros, modo supra specificato, inviolabiliter observanda, ad tollendam omnem suspicionem — — — — ultra ei supra iam dicta obligamina inscriqtiones coram dictis

Dominis Johanne Episcopo et Ladislao de Gara Palatino, praesentibus etiam et audientibus, egregiisque Ladislao de Orbowa et Joanne Buk de Berend, familiaribus dicti Dom. Gubernatoris etc. in hoc loco nostrae personalis habitationis, videlicet in castro Zendrew, in nostra mera libertate, compotesque rationis nostrae, pura et ultranea voluntate, ad sancta Dei evangelia corporale iuramentum praestitimus, ut in casu, quo ex nostro proprio motu ac studio nos vel dominam consortem aut filios et proles nostros seu alios quoscunque promissa, quod absit et Deus avertat, violare contingeret, nec coram Dom. Deo neque coram hominibus excusationem habere valeamus, sed palam et ubique periuri, fidefragi et infames reperiremur, in ipsorumque periurii, fedifragii et infamiae poenis convicti et totius humani honoris et bonorum hominum consortii expertes habeamur, teneamur et nominemur. — Renunciantes omnibus exceptionibus, defensionibus et auxilio tam legum, quam sacrorum canonum sive canonici et civilis iuris, quae nobis in contrarium promissorum vel in absolutionem a praetacto iuramento quomodocunque vel apud quemcunque principem ecclesiasticum aut saecularem incumbere et suffragari possent, harum nostrarum litterarum, quibus sigillum nostrum, quo utimur, ac etiam sigillum reverendissimi patris, Domini Athanasii, metropolitani de dicta Zendrew, pro maiori certitudine sunt appensa, vigore et testimonio mediante. Datum in eadem Zendrew, Sabbatho proximo ante festum B. Laurentii Martyris. Anno Domini MCDLI.

Apud Spiess. Archivische Nebenarbeiten. Sammlung der Urkunden Nr. XXIII.

LVI.

Joanes de Hunyad Gubernator civitates L. ac R. conventum tavernicalem celebrare iubet. An. 1451.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, prudentibus et circumspectis Judici, Juratisque civibus, ac toti consilio civitatis Cassoviensis, tamquam amicis nobis honorandis. Prudentes circumspecti, tamquam amici honorandi iuxta vestrarum amicitiarum intimata, vobis et aliis liberis civitatibus illarum partium superiorum in aliis litteris nostris nostram vestris amicitiis intentionem intimantes specificavimus, alia etiam nonnulla magnifico Joanni de Peren, Tavernicorum regalium Magistro, vobis et dictis civitatibus liberis referre commisimus. Ideo dilectiones vestras praesentibus requirimus diligenter, quatenus statim visis praesentibus unam dietam, et locum conventionis vestrae et dictarum aliarum liberarum civitatum in brevi fiendae, deputare velitis, ubi praefatus Dominus Johannes de Peren vobis et iam fatis liberis civitatibus referenda clarissime dicere posset; aliud, petimus, non facturi. Datum in Losoncz in festo B. Laurentii Martyris. Anno Dom. MCCCCLI.

Ex archivo civitat. Cassovien. Res publicae frequentioribus nunquam Comitiis sunt, quam sub Joannis de Hunyad gubernio, pertractatae. Ea diligentissime recoluit Georg. Kovachich in Suppl. vestig. Comit.

LVII.

Idem cum Baronibus regni, ne superiores regni civitates Gyskrae adhaereant, mandat. An. 1451.

Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator etc. Dionysius Cardinalis, Archiepiscopus Stri-

goniensis, Ladislaus de Hederwara Episcopus Agriensis, Joannes de Rozgon Vaivoda Transilvanus, Vincentius Episcopus Vaciensis, Thomas — Ladislaus de Palócz, Judex curiae regiae, Simon de eadem Palócz, Magister Agazonum regalium, Georgius de Rozgon, pridem Comes Poson., Stephanus de Pelsewcz, Joannes Kompolt de Nána, Jacobus Czudor de Olnod, Georgius filius Lorandi, Emericus de Hedrehvár, Stephanus Poharnok et Ladislaus de Losoncz, prudentibus ac circumspectis viris Judicibus, Juratis, caeterisque civibus et toti consilio civitatum Cassovien. Leuchovien. et Bartfa ac de Eperies, amicis nobis grate et sincere honorandis. Prudentes et circumspecti viri, amici nobis honorandi. Notum est vobis, qualiter his proxime praeteritis temporibus cum Joanne Giskra in oppido Kevesd conveneramus, ibique in vestra praesentia et per medium vestri, habitis cum eodem diversis tractatibus, qualem inter nos compositionem feceramus, per quam hoc regnum Hungariae Domino nostro regi Ladislao illaesum possit conservari. Et quamvis omnia ea, quae intra nos ibi erant disposita, ibi eidem Joanni Giskra ex parte huius regni ad plenum effectualiter sunt impleta et observata; tamen idem omnibus ipsis dispositionibus inter nos factis, fideque et litteralibus instrumentis, satis ratificatis et postpositss non advertens honorem et commodum antefati Domini regis Ladislai, aggregatis sibi diversis hominibus extraneis, istud regnum hostiliter invadens, et ubique in eodem fortalitia erigere intendens, sicuti iam aliqua de facto erexit, plurima incendia, hominum captivationes, bonorumque spoliationes et raptationes et spolia omnium malorum, nocumentorumque genera, huic regno intulit, et de die in diem maiora

inferre conatur, in speciale praeiudicium saepefati Domini nostri regis Ladislai et periclitari huius regni. Et licet omnibus modis instabamus, viasque quaerebamus, ut talia amicabiliter potuissent intercipi, et pro eo cum ipso Johanne Giskra amicabiles habere quaerebamus tractatus; sed nihil horum ab eodem obtinere potuimus, quia nihil aliud in ipso sentimus, nisi quod manifestus destructor et inimicus huius regni esse velit, in praeiudicium saepefati Domini nostri gratiosi regis Ladislai, universimque pro tunc tempore dictae compositionis cum annotato Johanne Giskra factae, ad petitionem eiusdem vos nobis obligaveritis, quod si idem Giskra in ipsis compositionibus permanere nollet, extunc vos velle cum totis viribus et potentia in subsidium huius regni insurgere, nobisque adstare et contra ipsum Johannem Giskra hostiliter procedere et agere velletis. At tametsi vos ad huiusmodi modo praemisso non obligassetis, adhuc aeque bene, quum de eodem regno sumus, et unum speciale membrum existitis, ob honorem et profectum saepe nominati Domini nostri gratiosi, et tranquillum statum, utilitatem reipublicae, huius nativi rrgni merito tenemini nobis adstare, et contra eos, qui huius regni turbare tranquillitatem intendunt, una nobiscum totis viribus vestris insurgere et agere; nos enim visis tot malis, quae huic regno inferuntur, in Dei nomine vos cum nostris gentibus in campum cum Dei adiutorio, hoc regnum a perversis eiusdem Giskre conatibus defendere laborabimus. — Quo circa vestras diligenter requirimus amicitias, quatenus cum totis vestris viribus et posse citius insurgere, et in campum nobis in auxilium venire velitis, ac una nobiscum vos eidem Giskrae et sibi adhaerentibus totaliter opponere, ut hoc reg-

num ab eius turbationibus defendere et Dom. nostro regi Ladislao mutuo auxilio illaesum conservare valeamus. Praeterea quia intelleximus, quod ipse Johannes Giskra de terra Shepusiensi ac de quibusdam civitatibus auxilium sibi quaerit et aggregat, ut eo fortius huic regno praelia inferre valeat, petimus, quantum possumus, quod ita intercipere velitis, totoque vestro posse vias et modos facere, quod de civitatibus ac de ipsa terra Scepusiensi, hoc regnum Domini nostri regis Ladislai non damnificetur, et idem Joannes Giskra de eisdem adiutorium non habeat, super eo etiam vos specialiter requirimus, ut eidem de eisdem vestris civitatibus, arma et alia necessaria non vendantur, nec quoquo modo administrentur, sed taliter agere velitis, quod idem sentiat omni favore se esse de eisdem alienatum. Item si propter brevitatem temporis vos in loco hoc cum vestra potentia pervenire non possetis; extunc ita parati esse velitis, ut quam primum illuc prope proprius appropinguabimus, aut vobis intimabimus, illico nobis cum vestra potentia in campum succurrere valeatis. Super praemissis autem nobis citissime amicabilem relationem intimetis. Plura autem Magistro Joanni de Peren, Magistro Tavernicorum regalium, de intentione nostra referre commisimus. Cuius relatibus fidem nostri parte adhibeatis creditivam eum eodemque in unum locum aptum convenire, et de suis relatibus relationem optatam celeriter facere curate. Datum in obsidione castelli Zenthkirály prope oppidum Losoncz in festo B. Laurentii. Anno Dom. MCCCCLI.

Indidem. Batthyányi LL. Eccl. Tom. III. p. 498—500.

LVIII.

Ioannis Gubernatoris animus pacis studiosissimus. An. 1451.

B. P. et D. Breve quoddam, apostolica exhortatione gravidum, his diebus accepi, in quo B. V, me ultro cupidum ad pacem observandam hortatur. pacem, inquam, illam, quam alias oratore S. V. medio, cum illustri Domino rege Bosnae pactus sum. Quae quidem res atque exhortatio, quamvis apostolica autoritate et cura digna sit, mihi tamen iucunda magis, quam opportuna videri potuit, quoniam omne id, quod in his quotidianis meis actibus versatur; — praeterea, si quid labore, si quid studio, animoque, si denique armorum exercitiis quicquam possum, totum in pacis finem dirigitur, et illius certe pacis, quam sicuti quaerere, sic et fovere semper optavi. Neque enim tanti esset eam expetere, ni ex ea maioris fructus ac voti pretium sqonderetur. Quam ob rem paratum habet in me B. V. animum ad pacem et ubique quaerendam, et ad eam, quae parta est observandam. Opus est, ut B. V. praefatum Dom. regem etiam atque etiam commoneat, ut infrascriptiones eius pacis atque conditiones mente teneat, et pariter observare curet, utque in fide et religione, quam suscepit, erectam faciem gerat, ne in ea, ac praesertim circa exstirpationem illius veteris damnatae haereseos (Manichaeorum), quae in solo regno suo in grande catholicae fidei non praeiudicium dumtaxat, sed et dedecus fovetur et pullulat, secundum quod pollicitus est, titubare videatur; prout super his omnibus R. P. D. Johannes, Episcopus Constantiensis, S. V. Orator, qui in his rebus gestis praesens coramque aderat poterit B. V. clarius informare. — Cuius pedibus — — Datum in Themeswar XVIII.

Maii. Anno Dom. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo.

Apud Schwandtner Epist. 78.

LIX.

Idem Gubernator Joannem Giskra, supremum capitaneum, ad pacis conditiones compellit. An. 1451.

Nos Joannes Giskra de Brandis memoriae commendamus — quod quia nos cum magnifico Domino Johanne de Hunyad, regni Hungariae Gubernatore, quasdam dispositiones et amicabiles compositiones pro perpetua pace, inter regnum Hungariae et nos duratura, pridem in oppido Rimaszombata ordinaveramus, cuius rei gratia nobis quaedam solutiones cuiusdam summae florenorum auri, secundum cautiones litterarum praefati Dom. Gubernatoris, per ipsum fieri debebant, praelati, barones et tota universitas nobilium et baronum nobis perficere et exsolvere disposuerunt, et litteris suis mediantibus se obligarunt, ideo nos bona fide nostra christiana et sub dignitatis Capitaneatus honore nostrae promittimus et obligamus, quod omnem dispositionem, quam cum praefato D. Gubernatore et toto regno Hungariae sub pro perpetua pace et unione ipsius regni fecimus et ordinavimus, firmiter et inviolabiliter observari faciemus, inconcusse, dum et in quantum idem D. Gubernator litteras suas integraliter deducet ad verum effectum. Promittimus etiam sub eadem fide, quod si quid contra D. Gubernatorem allegare, vel proponere habeamus, quod dispositiones, quas nobiscum fecit, in aliqua sui parte secundum inscriptiones, per ipsum nobis factas, non observasset; ea de causa cum nominatis praelatis, baronibus, ac

tota universitate nobilium guerram non movebimus, nec ipsos et eorum subditos, homines et bona invademus, aut quovis modo damnificabimus, sed neque per nostros subditos ac adhaerentes invadere, aut quovis modo damnificare permittemus. Sed super tali nostra actione cum eodem D. Gubernatore sic disponemus, sicuti nostrae et ipsius caverunt inscriptiones superinde confectae, praescripta pace semper illaesa. — — Hoc tamen specialiter adiecto, quod si quocunque tempore intra huiusmodi pacem et concordiam initam aliquae insolentiae perturbationes et damna per accidens ex abrupto a subditis partium utrarumque aut unius partis contra aliam committerentur et fierent, ob hoc huiusmodi pax et perpetua unio, non rupta, sed integra et vigorosa permanere debeat, in omnibus suis clausulis et punctis; sed nos ab utraque parte arbitros et reformatores talium actuum iniuriosorum — semper in civitate Cassoviensi — ad discernendum elegimus, — qui prout decreverint, secundum eorum reformationem pars alterutra parti laesae satisfactionem et refusionem damnorum facere tenebitur et exhibere; isto tamen incluso, quod pacta huiusmodi arbitratorum solum usque ad tempus, quo Serenissimus D. noster Rex Ladislaus in hoc regno suo constituetur, aut alter post eius decessum, quem Altissimus ad longa tempora protrahere dignetur, huius regni suscipiet gubernacula, vigere debeant et permanere; et extunc nos Joannes Giskra in factis iudiciariis, cum quocunque regnicolarum agere habebimus, iudicio regni volumus adstare et debeamus.

Bellum et pacem cum Giskra initam Chalcocondylas breviter ita refert: apud Stritter Tom. II, p. 1062. „Comparans

(Hunyiadius) exercitum profectus est contra Bohemos et longo tempore cum his bellum gessit. Tandem collatis signis, pugnans cum Jscra, viro in re militari conspicuo, victus est. Verum quum denuo cum isto congrederetur, victoriam recepit." — Thuroczius ipsum proditione victum ac cladem acceptam reddidisse, fusius exponit; dicens: „Multa et varia post haec D. Gubernator Bohemis in regni oppressione agentibus, eiusdem regni inter limites cum eisdem Bohemis gessit bella et multas eorumdem Bohemorum munitiones Hungarici agri in desolationem variis erectas in locis, alias vi cepit, omnemque suarum expeditionum directionem contra eosdem Bohemos fine felici consummasset, nisi opera proditionis in ipsum D. Gubernatorem per primores Hungariae conflata, eisdem Bohemis auxilium praestitisset. Quanto enim res ipsius D. Gubernatoris via prosperiori dirigebatur, tanto magis plurimi dominorum in illum occulte tumebant invidia. Actum est enim Dominicae Incarnationis MCDLI. anno, quum idem D. Gubernator, multo cum stipendiario milite armatus, munitionem per praefatum Joannem Iskra ad murum claustri S. regis Stephani de prope ad oppidum Losoncz erectam, obsidione cinxit, dietenusque forti expugnatione illam expugnando, illius custodes siti et armis in tantum gravasset, quod iam de illius obtentione finis optatus speraretur, praefatus tandem Izkra, civitatum regalium, regni partibus in superioribus habitarum favore superbus, tum vero proditorum motus persuasione, proprio et auxiliariorum non modico munitus praesidio suis, qui in munitione praetacta circumventi erant, allaturus opem venit, secusque castra ipsius D.

Gubernatoris, ordinatis aciebus stetit. Sed quid nequitiosa rebus in bellicis valeat proditio, tunc patuit: quum nondum manus pugnatorum consertae erant, et iam agmina proditorum D. Gubernatoris de castris praecipitem prorumperent in fugam. Quare et ipse Dom. Gubernator campum et castra deserere est coactus. Hanc quidem proditionem vir magnificus Stephanus de Pelsewcz munitione sub praetacta fortuito ictu bombardae ad mortem vulneratus, antequam moreretur, proprio ore est confessus. — Sicque Johannes Izkra campo et castris Hungarorum pariter et victoria potitus. — — Post haec D. Gubernator novis assumtis armis, gentibusque suis, quae partes tutabantur inferiores, quorum militarem virtutem, tumque fidelitatis constantiam priorum bellorum in tentamine expertus erat, adductis, munitiones ipsius Joannis Izkra ad claustrum de Saagh, secus fluvium Ipol et in monte Galchur, oppidoque Roznawa et Scepsi, novo erectas aedificio invadens, gravi obsidione vexavit et ad deditionem coegit. Munitionem vero eiusdem Joannis Izkra in Derenchen habitam; quam Bohemus quidam Walgatha vocitatus, illius sub nomine detinebat, obsedit; Bohemi, qui in illa erant, personas in captivitatem et munitionem ipsam ad manus ipsius D. Gubernatoris dedere. Tandem civitatem Zoliensem, tantae perniciei nidum et altricem adiens — ipsum Johannem Iskra armorum strepitu angustiavit, et ad pacis condimentam compulit." Chronicon P. IV. Cap. XLVIII. Horum testimonio corrigendus est, Dlugossus, qui lib. XIII. col. 81. victoriae per Hunyadium reparatae haud meminit. — — Mox idem Gubernator antequam Fridericus Romam peteret, Ladislaum

regem missa legatione repetiit, ut testis est Aeneas Sylvius in Hist. Friderici: In festo S. Michaelis — Vngaros, qui Viennae fuerant, suum regem petivisse — — Hungaros precatos obnixe, quum iam Caesar in Italiam profectus sit, Ladislaum ad eos mittat, in eius principale regnum, in quo natus, baptisatus et coronatus est, exinde datus Imperatori, qui eum diu non sine grandi Vngariae iactura tenuerit, regnum, scutum christianae fidei non posse, neque velle, amplius absque rege suo manere;" pag. 56.

LX.

Idem Gubernator operam ad Ladislaum regem electum vindicandum cum statibus Austriae iungit. An. 1452.

Nos Joannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, Dionysius, mis. div. S. Cyr. in Th. SS. R. E. presb. Cardinalis, Archiep. Strigoniensis, Johannes Varad. Andreas Quinqueeccles. Episcopi, Thomas de Brente, Gubernator Abbatiae S. Martini S. Montis Pannoniae. Item Nicolaus de Ujlak, Vaivoda Transilvanus, C. Ladislaus de Palócz, Judex Curiae regiae, Joannes de Peren, Magister Tavernicorum regalium, Joannes de Korogh, Banus Machoviensis, Rainoldus de Rozgon, Comes Siculorum, Sylvester de Torna, Magister Janitorum regalium, Georgius Rozgon Comes Poson., Simon Zudar de Onod, Johannes Zetse, Paulus de Hudna, Joannes Orszagh de Guth, Bartholomaeus de Homonna, Emericus Grof de Bazin, Emericus de Kanisa, Nicolaus et Ladislaus de eadem, Ladislaus de Denaczpál, Stephanus Pongracz de Sz. Miklós. Item ablegati de Buda, Alba, Posonio, Cassovia, Leutschovia, Bartfa, Pestino,

caeterique milites, nobiles, civitatum et incolarum regni Hungariae, ipsum totum regnum Hungariae repraesentantes. Item nos Fridericus et Vlricus, D. gr. Ciliae, Ortemburgae, Zagoriaeque Comites, nec non regni Sclavoniae Bani, pro nobis et omnibus dominiis et incolis dominiorum nostrorum. Similiter nos Vlricus Eyczinger de Eyczingen, supremus Capitaneus ducatus Austriae, Stephanus in Mellicio, Wolfgangus in Ketweig, Ord. S. Benedicti, Johannes ad S. Crucem et Joannes in Zwettl, Abbates Ord. Cist. Caspar in S. Hyppolito, Simon in Newburga, Martinus in Waldhausen, Johannes de Herczogburg et Conradus ad S. Andream, Praepositi Ord. Can. reg. S. Augustini, et Joannes Prior in Maurbach, Ord. Carth. Joannes C. de Schauenburg, supremus Mareschallus, Vlricus de Rosis, Henricus et Joannes filii eiusdem regnicolae Bohemiae, Wolfgangus de Walsee, supremus Mareschallus Austriae, et supremus Dapifer praefati Ducatus Styriae, — pro nobis et omnibus aliis incolis et terrigenis saepedicti Ducatus Austriae, tam spiritualibus, quam etiam saecularibus, universum ducatum Austriae et civitates ipsius servantes, memoriae commendamus et praesentium tenore profitemur. Quemadmodum temporibus superioribus post obitum serenissimi Principis et Domini Alberti, Romanorum, Hungariae, Bohemiae regis, ducis Austriae et marchionis Moraviae, felicis reminiscentiae domini nostri gratiosi, illustrissima Princeps, quondam Dom. Elisabeth consors eiusdem inclitissimum Principem D. nostrum regem Ladislaum, natum ipsorum sub teneris annis existentem, unacum corona regia Hungariae, Serenissimo Principi D. Friderico, Rom. Regi, praeter consensum et voluntatem omnium nostrorum, scilicet regnicolarum

et terrigenarum, regnorum et dominorum suorum peculiarium ac extra eadem contra ordinationem testamentariam, praefati quondam Alberti regis tradidit et assignavit, quem dictus Dom. rex Romanorum iam pluribus annis extra regna, ducatus et dominia sua cernit ac tenet de praesenti, et quod nos et alia regna et dominia eiusdem Domini nostri naturalis regis Ladislai, tempore medio in varia disturbia, damna inquietudines incidimus et inciderunt, quarum occasione nos omnes D. Romanorum Regem, replicatis viribus impulsavimus, quatenus sua maiestas dominum nostrum naturalem, in haereditatem suam paternam collocaret, quod, proh dolor! apud suam Serenitatem hactenus nullatenus poteramus impetrare, sed sua Serenitas nescitur, quo ducta motivo, eumdem Dominum nostrum regem Ladislaum de regnis, ducatibus et dominiis suis absque scitu et velle nostro, scilicet regnorum, ducatuum, dominiorum suorum ad extèras regiones personam suam fortunae periculis submittens abduxit. Quocirca nos ex causis supradictis ac propter necessitates gravissimas, dicto domino nostro naturali, suisque regnis, ducatibus, dominiis incumbentes, generalem conventionem in hac civitate Viennensi in his diebus celebrantes, ubi deductis hinc inde tractatibus et colloquutionibus mutuis, maturo consilio, deliberatione prehabita ad talem devenimus conclusionem: quod nos caeteri supradicti, universi universaliter et singuli singulariter, unacum illustribus principibus Dominis Friderico et Vlrico, Ciliae Comitibus, qui inter caeteros principes et magnates, ipsius videlicet D. nostri regis Ladislai consanguinei, non minus ex fidelitatis constantia, quam ipsius consangnineitatis fervore, flagrantiori desiderio, praesertim pro eliberatione

personae dicti Dom. nostri regis Ladislai, dominiorum suorum tranquillo statu, huius diaetae et negocii cordialissimi directores forent et existerent, eorumdem unanimi voto ligam, unionem et confoederationem subintravimus et presentium vigore subintramus, taliter, quod nos saepefatum D. nostrum regem Ladislaum, unacum predicta corona regni Hung. divino auxilio, totoque posse nostro rerum et personarum, modisque aliis ad hoc necessariis et opportunis, quemadmodum ad id Serenitati suae ex iuris et honoris et fidelitatis debito sumus religati, cum auxilio, consilio et adhaesione omnium illorum, quos ubi in hac re adhuc in posterum aggregari contingeret, de manibus praefati D. Romanorum Regis, ac alterius cuiuscunque, qui ipsum praeter voluntatem nostram detinuerint, eripere et in sua solia paterna, ducatusque et dominia liberum introducere et reponere, ac omnia videlicet castra, fortalitia et alia, quaecunque post obitum saepedicti D. Alberti regis, per ipsum D. regem Romanorum ac D. Albertum Ducem, fratrem suum, seu quoscunque ad eos pertinentes, a regnis, ducatibus et dominiis praefati Domini nostri regis Ladislai qualitercunque occupata, ab eorum manibus recuperare, et eis, quorum sunt, reddere volumus et debeamus. Casu autem, quod praefata regna, ducatus et dominia ac ipsorum incolae et praefati Domini Ciliae Comites ac eorum dominia, aliique quicunque, dicto D. nostro regi Ladislao adhaerentes praemissorum occasione, lite aut querela a quocunque arduati fuerint, amodo inantea, quocunque temporum processu, quod nunc unum regnum, ducatus et dominia alteri regno, ducatui ac dominio, et sic omnia praemissa regna contra quoscunque et signanter adversus praefatum Dominum regem Romanorum

nobis in hac causa, tamquam ex adverso principalem et alios quoslibet sibi adhaerentes, partem suam foventes, semper iuvare, protegere et defensare debeamus et teneamur toto posse. Si vero contingeret aliquas controversias seu disturbia in praefatis regnis, ducatibus sive dominiis D. nostri regis Ladislai, ac ipsorum Comitum Ciliae quomodolibet excitari, per quae introductio eiusdem et alia exinde sequenda impediantur, et ad effectum conduci non possent, quod tunc nos cooperari et rebus mutuo iuvare debeamus, consiliis, auxiliis; ut controversiae sive disturbia huiusmodi sopiantur, ne introductio D. nostri regis Ladislai sit impedita. Si vero aliquem ex nobis aut nobis colligatis aut colligandis et adhaerentibus, praemissorum occasione, in captivitatem incidere aut amissionem rerum seu bonorum quorumcunque a quocunque pati contingeret, tunc promittimus nominibus, quibus supra, cum huiusmodi adversariis nostris nullam velle amplecti concordiam, aut pacem nisi prius recuperatis ablatis sive deperditis et de relaxatione captivorum absque solutione taxae aliqualis, vel quin ipsis fuerit alias satisfactum, iuxta consilium et decretum colligatorum, de dominio laesi existentium. Demum de communi voto omnium nostrum et hanc finalem duximus ordinationem, quod cum praefatus D. noster rex Ladislaus, concedente Domino, de manibus praefati D. Romanorum regis, aut alterius cuiuscunque ipsum praeter voluntatem nostram detinentis, ereptus, suaeque libertati restitutus fuerit, quod tunc idem D. noster rex Ladislaus iuxta limitationem ordinationis testamentariae, annotati quondam regis Alberti, genitoris sui videlicet, in Posonio teneri debeat, exco-

pto tamen praefato D. Romanorum Rege, qui semet ipsum quantum ad interesse super intendentiam seu executionem qualescunque annullatam testamentariam ordinationem respicientes etiam pluribus legitimis ex causis palam cernitur exclusisse. Si vero contingeret Dom. nostrum regem Ladislaum ab humanis discedere, quod Deus avertat, antequam haereditatem suam paternam ingrederetur; hoc ex casu aliquod ex regnis, ducatibus ac dominiis eiusdem domini nostri regis, aliquos vel aliquem ex eorum incolis praefatorum dominiorum aut dominiis Comitum Ciliae indignationem quorumcunque seu damna et inimicitias incurrere contingeret; extunc illius regiminis ducatibus et dominiis seu eorum incolis, huiusmodi indignatione seu damno seu altera occasione praemissorum gravatis, facultatibus et viribus tamdiu assistere volumus, quousque ab huiusmodi indignatione erepti sint et indemnes. Item iuxta consilium et decretum colligatorum in dominio damnificat. residentes, et etiam hoc casu specialiter pro recuperandis corona regni Hungariae et bonis, tam eius, quam dominiorum praefati D. regis occupatis restaurandis, nobis invicem assistere et auxiliari teneamur toto posse. — — Praemissa autem omnia et singula nos praedicti omnes universaliter et singuli singulariter ac in solidum quoad omnes articulos rata habemus et placita ac inconcusse observari, teneri, exequi promittimus, sub fide nostra christiana et honore. — In quorum etiam fidem, robur et testimonium sigilla nostra seu potiorum, supra nominatorum, pro nobis; pro communitatibus autem nostris, quas, ut praefertur, nos Hungari et Australes praenominati repraesentamus, sigilla civitatum nostratum praesentibus fecimus appendi. Datum Viennae, praedicto loco congregatio-

nis nostrae iam tactae, V. die mensis Martii, Anno Domini MCDLII.

Erant appensa sigilla 62. Hungarorum 30. E tabulario aul. Viennensi. Ibidem etiam nostrates contra Giskram cum Vlrico Comite Ciliae foedus iniverant. E MSS. Cornides. Katona l. c. p. 827 sqq.

LXI.

Idem Gubernator suis Romam ablegatis salvum conductum et instructionem largitur. An. 1452.

Vniversis et singulis principibus ecclesiasticis videlicet et saecularibus ducibus, marchionibus, praelatis, baronibus, comitibus, vicariis generalibus, nobilibus, militibus, officialibus advocatis, ancianis, potestatibus, praesidibus, tricesimatoribus, tributariis, theloneariis, boletariis, daciariis, iusticiariis, iudicibus, magistris civium, passuum et portuum custodibus, civitatum, oppidorum, villarum et aliorum locorum communitatibus, et eorum rectoribus, nec non aliis cuiuscunque status et conditionis hominibus, ad quos praesentes nostrae pervenerint litterae, dominis fratribus, amicis, fautoribus et benevolis nostris honorandis, Johannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator etc., salutem et debiti honoris continuum incrementum. Reverendissimi, Venerabilesque in Christo Patres, illustres, spectabiles, magnifici, egregii, nobiles, sapientes et circumspecti domini et fratres, amici, fautores et benevoli honorandi. Quia reverendus in Christo Pater Dominus Augustinus, Episcopus Ecclesiae Jauriniensis, ac magnificus Dominus Ladislaus de Thetews, Magister Pincernarum regiae Maiestatis, venerabilisque Magister Albertus de Weches, utriusque iuris

Doctor, Archidiaconus Albensis ac Canonicus et Vicarius Ecclesiae Transilvaniae, nostri et regni praedicti ambassiatores pro arduis regni eiusdem expeditionibus in praesentiam sanctissimam domini nostri Domini Pontificis, serenissimique Principis Domini Friderici Romanorum regis proficiscuntur; pro eo, eosdem vobis omnibus praesentibus sincero recommendamus affectu, vosque attentius hortantes rogamus, quatenus ipsos ambassiatores nostros, dum ad vos aut alterum vestrum, vestrasque terras, iurisdictiones, dominia, comitatus, civitates, homines, officiolatus, districtus, tricesimarum, tributorum, theloneorum, boletarum, daciarumque loca ac vestri in medium pervenerunt, benigne et humaniter suscipere, favorabiliter tractare et in his, quae celeritatem et securitatem sui concernunt itineris gratuitam et promotivam ostendere velitis voluntatem, nec non ipsos una cum ipsorum comitiva, familia, equis et rebus valisys (?) et sarcinys singulis, tam per terram, quam per aquas, absque aliquali solutione dacii, tributi, tricesimae, mutae, pontinagii, buslimiae, habellae ac alio quocunque solutionis et exactionis onere, omnique impedimento et molestatione semotis, per dominia, terras, civitates, castra, castella, oppida, districtus, portus, pontes, passus, et alia vestrae iurisdictionis loca, ire, transire, stare, morare, pausare et redire libere et pacifice permittere et permitti facere velitis, providendo eisdem; dum necesse fuerit, et per eos desuper requisiti de vestro securo salvo conductu nostri contemplatione. Quod erga vos et vestros grata vicissitudine studebimus promereri. Praesentes post litteras reddi petimus exhibenti. Datum in Posonio undecima die mensis Martii, anno Domini MCDLII.

Memoriale.

Primo commemoretur a principio, quomodo Dominus rex Ladislaus venerit in manus regis Romanorum.

Item quomodo corona regni Hungariae.

Item quae propter hanc causam dissenssiones et disturbia secuta sunt et suborta.

Item quam multis vicibus per notabiles et maiores de regno praelatos et barones ac intermixtim etiam per alios oratores requisitus fuerit de recuperatione ipsius regis et coronae, et ut tot malis ex hoc finis imponeretur.

Item quod rex Roman. non solum non restituit, sed etiam invasit regnum et occupavit castra et alia bona, cui ne occurreretur, foveri potius voluit dissensionem regni quam sedari.

Item ubi rex allegat consuetudinem domus Austriae, respondeatur per obligationem suam, quam dedit Australibus.

Item dato quod consuetudo fuerit talis domus Austriae, tamen quoad regnum Hungariae non.

Item commemorari poterunt circa praemissa plurimae aliae iniuriae ex parte regis susceptae, praesertim eo tempore, quo regnum erat scissum et occupatum contra infideles.

Item quia propter hoc coacti sunt domini de Vngaria treugas facere cum Turcis, cum indefesse pugnare solebant pro fide et dilatatione christianitatis.

Item de abductione domini regis.

Item de gravamine ex parte Bohemorum, item et alia multa contra inscriptiones, item quod ex his et aliis pluribus causis iam Domini de Vngaria concordaverunt cum dominis ducatus Austriae et aliis

etc., ut agant pro eliberatione regis et de loco conservationis.

Item si non reddiderit Ladislaum regem cum corona, etiam metus exponatur, quod plura mala sunt secutura, quam praecesserint, caedes, vastationes, populorum, urbium, sanguinis effusiones etc. Quia hoc casu aliter fieri non poterit, nisi ut regna et dominia dicti Domini Ladislai regis et eorum incolae tum ex debito honoris, fidelitatis, cum ex necessitate ea, quae iuste petita obtinere non poterunt, armis petant.

Item de termino infra quem exspectetur relatio regis Romanorum.

Item si dixerit rex Romanorum in reversione, quod in reditu suo in prima dieta faciet restitutionem vel compositionem, quod in hac parte sit accipiendum ab eo.

Item si poterit conduci, quod promittat restitutionem quaeratur, infra quem terminum et in quo loco? —

Item signentur et agendorum per oratores ultraque se non extendant.

Item quod respondeatur ad treugas si obiiciatur.

Ex archivo caes. aul. sub regestri Nr. 2772.

LXII.

Ladislaus Posthumus R. H. Johannem de Hunyad, celebratis meritis signis gentilitiis auget. An. 1453.

Ladislaus, Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Austriaeque et Stiriae Dux, nec non Marchio Moraviae etc. Ad perpetuam rei memoriam. Libet comitari mores Principum nobilitari splendore instructos. Libet equidem munificen-

tiae pariter iura sequi, quibus regiae dignitatis ministeria innato lumine decorata, veluti quidem fulgentes radii in subditorum merita profunduntur. Cum enim inter virtutes caeteras munificentiae decus summae sit laudis in principe, iuvat magnopere, in hoc exordio regiminis summo studio ipsam amplecti, ut per eam in nobis pariter cum aetate crescentem, subiectorum conciliemus animos, et obsequii cursum in eis quasi quodam bravio praeparemus. Solet namque hoc proprium velut pro lege habere regum nobilitas, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet et nisi in suis beneficiis creverit, nihil sese unquam praestitisse putet. Haec igitur occasio, haec denique fuit nobis consideratio, ut fidelem nostrum grate, sincereque dilectum, Spectabilem ac magnificum Joannem de Hunyad, pridem huius regni nostri Hungariae Gubernatorem, utpote magnificis virtutibus multorum illustrium operum nervo ac magnis meritis plenum ac praestantem, in honorem et dignitatem perpetui Comitis in et super civitate nostra et districtu Bistriciensi partium nostrarum Transilvanarum sublevaremus et praeficeremus, prout in aliis nostris litteris superinde confectis latius hoc ipsum et clarius et ordinacius est expressum. Restat, ut coptum erga eum emeritum amorem nostrum, pluribus ac maioribus indiciis continuantes, aucto honori suo auctiora decoris insignia atque ornamenta adiiciamus. Hactenus siquidem ex gratia praecessorum nostrorum divorum Hungariae regum praefatus Comes Ioannes pro armis seu nobilitatis insignis, progenitoribus suis et domui beneficio munere collatis, corvum in campo flaveo seu coelestino alas paululum elevantem, sub colore naturali depictum, ac formam anuli aurei in ore ge-

stantem habuit, et in omni usu palam prae se tulit; Nos vero ex nunc in signum novi decoris et magnificate dignitatis suae de consilio Praelatorum ac Baronum nostrorum damus eidem et superaddimus prioribus suis armis supratactis, leonem integrum coloris rubri in campo albo sursum erectum, sparsisque post sese pedibus et ore aperto, pugnanti ac trementi et animoso similem, atque in altero anteriori pede veluti manu quadam auream coronam tenentem, vel quasi offerentem, ita quod utraque arma ipsa cum suis supra distinctis coloribus per crucem transversam dupplicata in uno, eodemque clypeo collocentur et deferantur, ipsi autem et ipso superponatur galea aurea coronata cum suis solitis ornamentis, hinc inde diffusis, pro crista vero inseratur forma alae similiter aureae desuper proeminentis. Quae profecto armorum additamenta ne abs re per nos facta aut sine virtuoso typo praestita videantur, significationem eorum et causam exprimere non negleximus. Quod enim forma leonis rubri in campo albo in statu et modo supra expresso addita conspicitur, significat, antefatum C. Joannem superioribus nostrae absentiae temporibus, quibus videlicet post sedatum huius regni nostri disturbium ipse C. Joannes officium gubernationis gener. cum suo honore et onere sustulit, nostro nomine et supportavit ea omnia, quae pro defensione regni nostri, et nostro iure tuendo, opportuna fuere, in sincera fide et sollicitudine, quae sinceritas per colorem album designatur, egit, exercuit et operatus est. In quibus, quoniam virtuosa bella plurima suo et suorum sanguine respersa magno animo et leonina, uti dicere solent, audacia plerumque confecit, pugnanti leoni et cruento non indigne assimulatus est, quod autem additum est, leonem ipsum altero suorum anteriorum pede coro-

nam auream tenere et conferre, aperte designat, quod Comes Johannes supradictus coronae nostrae iura et possessionem eorumdem suis laboribus suisque sudoribus ab impugnantium manibus erepta et fideliter conservata devota promptitudine, Maiestati nostrae obtulit et restituit, suaque praecipue assistentia nos ad eorum regimen feliciter introduxit. — Haec igitur arma seu nobilitatis insignia, quae superius expressimus, et quae in principio seu capite praesentium litterarum nostrarum suis appropriatis coloribus figurata sunt et distincta, utpote virtutibus eximiis, operibus magnificis et illustribus meritis praefati Comitis Joannis apta, uti praediximus, et congrua, eidem Comiti Joanni et per eum suis haeredibus et posteritatibus universis utriusque sexus animo deliberato et ex certa nostra scientia, Praelatorum etiam et Baronum nostrorum ad id accedente consilio ad usum et decorem novae suae dignitatis supratactae dedimus, donavimus et contulimus atque ex mera plenitudine nostrae specialis gratiae praesentibus elargimur, ut ipse ac sui haeredes et posteritates universae praetacta arma seu nobilitatis ac dignitatis insignia, more aliorum Comitum perpetuorum, armis utentium, ubique in praeliis, hastiludiis, duellis, torneamentis et bellis, ac aliis omnibus exercitiis militaribus et nobilibus, nec non sigillis, antidis, velis, cortinis et vexillis, et generaliter in quibuslibet rerum et expeditionum generibus sub mero et pleno Comitis perpetui titulo, quali ea ab omnibus et singulis cuiuscunque conditionis, praeeminentiae, status, gradus vel dignitatis homines existant, insignita dici, nominari et teneri volumus, ac etiam reputari, gestare et ferre, nec non omnibus gratiis, honoribus et libertatibus, quibus caeteri Comites

perpetui, quanto sese largiori favore regio decoratos conspiciant et munere gratiarum. In quorum omnium memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariae utimur, impendenti communitas eidem duximus concedendas. Datum Posonii feria quinta proxima ante festum Purificationis Beatae Mariae Virginis gloriosae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo LIII., regni autem nostri Hungariae anno tredecimo."

Ph. Fr. Spiess archivalische Nebenarbeiten. Urk. Nr. XXIV.

LXIII.

Joannis de Hunyad natales, virtus ac merita per regem Ladislaum solenniter recognita anno 1453—4.

Nos Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Austriaeque et Stiriae Dux, nec non Marchio Moraviae etc. Ad futuram rei memoriam significamus tenore praesentium universis, quod pro parte et in persona fidelis nostri, spectabilis et magnifici Joannis Comitis perpetui Bystricensis exhibite et praesentate sunt nobis quaedam duae litterae, una nostra super perennali donatione et collatione castrorum Gergen in Comit. de Thorda et Dewa appellatorum in Comitatu de Hwnyad, partium nostrarum Transilvaniensium existentium, item Districtuum walachalium Swggia, Bosar, Monostor et Swpan vocatorum in Comitatu Themesiensi existentium ac oppidorum, villarum, praediorum, tributorum et iuris patronatus ecclesiarum ad eadem et ipsos pertinentium privilegialiter emanata, et alia Capituli Ecclesiae Transilvaniensis super legitima statutione dicti castri Dewa ac oppidorum, villarum,

praediorum, tributorum et iuris patronatus ad idem pertinentium, privilegialiter confecta tenoris infrascripti; supplicatum itaque extitit Maiestati nostrae in persona praefati Comitis Joannis, humiliter et devote, ut easdem litteras ratas, gratas et acceptas habentes, nostrisque literis verbotenus inseri facientes, pro praefato Comite Joanne, suisque haeredibus universis, innovantes, perpetuo valituras confirmare dignaremur, quarum prinde litterae nostrae videlicet privilegialis tenor talis est:

Nos Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Austriaeque et Stiriae Dux, nec non Marchio Moraviae etc. Ad perpetuam rei memoriam. Potestas regnantium ad hoc divinitus in terris erecta est, ut, quemadmodum ad vindictam malorum, ita et ad laudem sit bonorum et ut subiectum sibi promiscui populi fidelem cetum, regat benevolentia, liberalitate attrahat et uniuscuiusque merita condignis retributionibus prosequatur. Quod etsi quasi ex debito publici officii et quadam generali Principum regula fieri soleat: hi tamen clarioribus ornandi sunt titulis et altioribus magnificandi honoribus, quos sincerior fides, magnanimes actus et excellentiora merita caeteris antepONUNT. Hac itaque contemplacione clarissimam fidem, virtutes magnificas, fortissima gesta, multipliciaque obsequiorum genera, fidelis nostri, sincere dilecti, spectabilis et magnifici viri Joannis de Hunyad, totius regni nostri Hungariae usque ad haec nostrae aetatis tempora Gubernatoris magnanimis et Vaivodae Transilvani etc. qui sicut integritate caeteris clarior, ita potenti virtute ab incunabulis aetatis nostrae, regni, status et honoris nostri conservator et columna fuit, non so-

lum debita recognitionis gratitudine prosequi, sed et posterorum memoriae his scriptis et si non per omnia, saltem in parte transmittere nobis in animo est, ne sua gesta insignia ulla aetate concidant, sed potius late sui spargant splendorem et sempiterna apud futura saecula laude praedicentur, caeterisque exemplo sint; aequum est enim, eos suis non fraudare praeconiis, qui actus illustres et praclara facinora ediderunt. Imprimis itaque id nobis, prout fide dignorum hominum contestatio prodit, referendum occurrit, quod ipse Joannes regnante condum gloriosissimo Principe Domino Sigismundo, tunc rege avo nostro beatae memoriae, annos iuveniles laudabili indole exegit, in quibus praematurum sensum et adultam semper gravitatem prae se ferens studuit, ut quo plurimi aliena ope et suorum Maiorum titulis irrumpunt, eo sudoribus, virtute, ingenio et vigiliis suis ascenderet, pulchrum gloriae genus exist. praelucere posteris et nascentibus nominis decus ac dignitatis initium adferre. Adolescentia vero egregie traducta, corpus ad tolerandos labores et militarium exercitiorum actus asuefaciens et habile reddens, futurorum inclitorum operum suorum fundamenta certis praesagiis iecit et ingenuis moribus, quasi quibus dam gradibus ad dignitates, honores et gloriosam nominis famam liberos sibi ascensus comparavit; praeclare enim indolis miles et imperiali obsequio dignus tunc primum regiis militibus commatriculatus et successive consiliis admissus, integra fide, devotisque obsequiis praefato avo nostro, sive pro susceptione imperialium infularum, seu pro reparandis ruinis regni sui Bohemiae procedenti, sed et in aliis cunctis negociis gerendis et rebus bellicis ad tempora vitae suae fidei semper sollicitudinis diligentia inseperubi-

liter adhaesit; pro cuius etiam honoris amplitudine saepius capitis periculum bello et armis adiit, adeoque se ei in omnibus reddidit acceptum, ut singulari quodam regio amore dignus habitus et fotus, ac per eum prima haereditate in hoc regno nostro donatus fuerit, altioribus adhuc eo tunc sublimandus honoribus, nisi ipse avus noster e vita excessisset. Succedente tandem excellentissimo Principe, Domino Alberto, similiter Romanorum et Hungariae rege etc., genitore nostro felicis recordationis praefatus Johannes, certe dudum fidelitatis opera continuo cremento augens, et in ipsius genitoris nostri obsequiis se expeditionibus bellicis, quas idem sive adversus nonnullos rebelles regni sui Bohemiae, seu contra Teucros laudabili semper exitu confecit, nunc prudentis consiliarii, nunc vero strenuissimi militis agens officium, adeo fuit continuus et utilis, ut ab eodem genitore nostro primum de milite ad nostrum Baronatum regni, Bani videlicet Zeuriniensis, qui clarus Baroniae titulus est, insignibus meritis creatus sit, ubi et gloriosa tandem adversus Teucros eotunc illis partibus oppido infestos, praelia ipse et egregius quondam alter Joannes de ipsa Hunyad miles, cibi sanguine frater, fortissimaque strenuitate par et socius, victorioso semper fine saepius confecerunt; ipse etiam divo genitore nostro, licet satis praemature, ut tamen Domino placuit, vita functo, dum regnum nostrum Hungariae nobis eotunc apud inconsabilis et alienam educationem aetatem agentibus, idoneo cultore orbatum, et intus gravissimis odiis exercitia, fluctuaret, et foris grassante dictorum Teucrorum ejusdem rannide, innumeris affligeretur malis, utpote cum iam ipsi Teucri vastare agros, diripere villas, homines sine discretione sexus et aetatis vel trucidare,

vel abducere, impune consueverant, et paene totam inferioris ipsius regni nostri Hungariae partes usque ad fluvium Tycie et item ex altera usque ad interiora loca regni nostri Sclavoniae vel miserabiliter vastaverunt vel occupaverunt, adeoque gravissimo metu iam totum regnum concusserant, ut illud in pendenti fermè ruina positum miserum sub blasphemorum Christi manibus solam restare putaret occupationem, praefatus Joannes de Hunyad, medio tempore Waivoda Transilvanus et Comes Themesiensis, factus etiam Capitaneus Nandoralbensis et aliarum inferiorum partium, eo titulis non minus, quam acceperat, dignitatis et gloriae restituit; illiusque suae sublimationis primordia pulcherrimis quibusdam victoriae generibus consecravit, fecit enim in primis victrici bello, in terra Serviae prope castrum Nandoralbensi, Izac, Vaivodam Teucrorum, qui eotunc castrum Zenderew, cum tota ipsa terra Serviae occupatam tenebat; consequenter vero, dum paucis post diebus alter Teucrorum exercitus nonnullas iam pridem de nostris adeptus victorias, amplo milite superbus et gloria vividus, partes nostras Transalpinas solita flagitia ac hominum et rerum praedam acturus subintrasset, memoratus Joannes Waivoda, cum illarum partium gentibus, pro fortissimi Ducis officio strenuo illi occurrit congressu, ubi dira collatis signis et consentis manibus Mars utrinque crudescendo, adeo laudabiliter hostem conflixit, ut ipse quoque adversi exercitus Dux, qui Mezythbeg vocabatur, una cum filio suo, vicecapitaneo, occisus refusam praedam proprio et filii casu suppleverit, suis omnibus complicibus vel fusis vel captis, et paucissimis fuga salvatis. Ex quo opere huic regno accessit utilitas, ut partium Transalpin. et Moldavine Waivo-

dae, qui adhuc progenitorum nostrorum temporibus sacrae huius regni coronae rebellando Teucris se subiecerant, ipsius Joannis Waivodae cum consilio inducti, tum metu concussi, rursum huic regno cum tota sua terra se restituerunt, pristina fidelitatis obsequia nobis usque in diem hunc exhibere obligati. Quibus peractis extante adhuc satis recenti huiusmodi felicium rerum fama, huic vero meritissimo ex his illustribus principiis illustrior et longe excellentior digna laude per omne aevum celebrandus alterius victoriae titulus accessit; dein enim Teucrorum Dominus hunc supratactum suorum interitum indigne ferens et totis viribus ulcisci desiderans, magnum suae potentiae undique coactum robur, nec non octuaginta millia hominum, prout de hoc certa relatione edocti sumus, sub conductu Base, cui videlicet principalis vices gerentis, armis et numero instruxisset, ipseque Base huiusmodi atrocem et acerbe ulcionis minacem exercitum inprimis per partes transalpinas ductaret, ea quoque fere tota vastata, amplissimam hominum et rerum praedam referret, intendens dehinc e vestigio in praedictas partes nostras Transilvanas vastator succedere, praetactus Joannes Waivoda aggregatis, quibus potuit, gentibus inimicam multitudinem longe ei impar numero, ad usque illarum partium extrema persecutus, vel vincendum, vel moriendum statuit; hic vero suas artes, fortitudinem et bellicam industriam cernere erat, invadere enim hostem, quem invadi sacius ducens, arduum et magnum ac suorum viribus longe impar bellum fortiter suscepit, quo prudenter administrato, felicissimeque gesto et confecto, aeterna laude memorabilem victoriam reportavit, in qua re et antiqua gentis Hungaricae gloria, famaque reddita est, et suum

nomen omnibus in locis eo facto maxime celebratum eximii cuiusdam triumphi speciem exhibuit; fusa enim innumerabilis multitudo hostium, moribundis longe lateque cadaveribus, amplissimum certaminis campum thabe fecit, indelebilem cunctis saeculis miserandae suae cladis historiam derelinquens, innumerabilibus ibidem hostium maioribus in captivitatem redactis amplissimisque thesauris et omni praecioso exercitus supellectili in praedam nostrorum deventis et devotis. Tot felicibus autem vir magnificus animatus victoriis alios aliis insignes actus accumulans, grandem et sumptuosissimam tandem egregiorum militum expeditionem coegit, cum qua regnum Serviae, seu Rasciae et Bulgariae transgressus, et usque ad oras Romaniae penetrans, quae omnia Teucrorum Dominus antiquis ab annis occupata tenebat, civitatem Sophiam et quam plures alias civitates, oppida, castra, totasque pene terras illas infidae gentis domicilia, igne et gladio vastavit. In quo quidem progressu crebris, praecipue vero sex praeliis, continuas adeptus victorias, ingenti hostium hominum et rerum praeda onustum, salvum reduxit exercitum, infinitis hostium captis banderiis, quae in Ecclesia B. Mariae Virginis Budensi, in sui aeternam laudem per futura saecula pendebunt, utpote tot triumphorum illustrium pulcherrima et praeclara monumenta. Ex quibus saecutum est, ut ipse Teucrorum Princeps tremefactus, totum regnum Rasciae cum eiusdem terrae castris, quae antiquitus occupata quasi huius regni claves tenebat, manibus illustris principis Georgii Despoti Rasciae, huius regni membri fidelis, nomine et ex mandato regni Hungariae recipienti restituit, quae per eum usque ad haec nostrae aetatis tempora pacifice et fideliter possidentur. Rex etiam

Bosnae eo perspectu ad pristinae obedientiae, quam negaverat, rediit gremium, in qua hucusque constanter perseverat. Quid multa, horum gloria meritorum, harum fama virtutum cum praefatus Joannes Waivoda non solum regnicolis gratissimus, verum etiam remotis et exteris notus esset, brevi altioris dignitatis sedem ascendit, et quod laudum suarum cumulus est, unanimi omnium praelatorum, baronum et procerum regni consensu et singulari amore, in nostra absentia et sub nostro nomine totius regni Hungariae praeses factus extitit et Gubernator, in quo quidem officio quam iuste, integre, fortiterque regnum illud nostro nomine administraverit, tenuerit, quantaque diligentia in tutando regno usus fuerit, fidem faciunt fortia sua acta, tam adverx. Teucros quam intrinsece guerre sopitos autores, et praesertim duo alia quaedam fortissima proelia, quae tandem grandi gentium numero, sumtuosissima impensa, coactorum ipsius Teucrorum principis persona et tota sua potentia, in proprinque ipsius terra media, magnanimi strenuitate peregit. In quibus etsi occulto Dei iudicio, qui solus novit, cur per saepe fideles suos in conculcationem Blasphemorum sancti nominis sui exponat, fortuna suae parti noverceta fuerit, et plures egregii milites occubuerint, dupplum tamen domini semper refudit hostibus, eruenti eis in omni actu victoria derelicta, nec cesi nostri hoc loco periclitandas sortiti sunt exequias, quae etsi optabilius fuissent in patria, speciosius tamen pro patria factae extiterunt. Laudibus etiam huius viri non immerito adiici potest, quod in his adversorum casuum vicibus inter ipsa quoque discrimina, in quibus non solum carissimos plures et fratres et amicos et familiares sibi belli calamitate raptos amisit, sed etiam pro-

prii sanguinis multum effudit, sibi animum defuisse, aut fortitudinem lassatam esse, nunquam potuit visum iri; quin imo vir fortissimus, magnanimum excelsumque maximae mentis conservans vigorem, sua prudentia de captivitate, quam in ultimo dictorum duorum proeliorum inciderat, libertati restitutus, patriae secum salutem restituit, nec solum exteris malis hoc regnum eripuit, sed et interna quiete composita effecit, ut tota natio et respublica regni nostri Hungariae, submotis, sublatisque civilibus bellis et internis turbinibus, qui paulo ante et voluntates et mentes eius generis a sese distraxerant, unione invicem iurata, nos Dominum suum naturalem, genitoris et avi regum suorum successorem et haeredem, regem declaraverit, susceperit et recognoverit, sicque praefatus Johannes Gubernator regnum illud nobis et sub nomine nostro constanti fidelitate tenuit, atque in hac constantia etiam innumeris bellorum morbis adversantibus perseveravit. Postremo regnum ipsum Hungariae confinibus suis dudum amissis, recuperatis magis auctum, magisque a parte infidelium Teucrorum, quam temporibus, dictorum avi et patris nostri regum tenebatur, dilatatum, Maiestati nostrae fideliter restituit, votiva pacis tranquillitate gubernandum, quod quidem, ut apertius confiteamur vel sola vel maxima eius industria, sollicitudine et bellicis artibus servatum est. Vt igitur vir tot inclitorum operum numero praestantissimus, cui nullus honos nisi meritus referri potest, et qui in tot praeclaris actibus multum sanguinis sui et suorum effudit, gratam sibi Maiestatem nostram praesentiat, extunc aliquas benevolentiae nostrae videat primicias, in futurum maiores experturus, castra nostra Gergen, in Comitatu Thorda et

Dewa vocata, in Comitatu de Hwayad, partium nostrarum Transilvanarum habita, simul cum cunctis districtibus, oppidis, possessionibus, villis et praediis, ad eadem pertinentibus: item districtus Valachales Swdya, Monostor, Bosar et Swpan vocatos, in Comitatu Themesiensi existentes, simul cum cunctis huiusmodi castrorum, districtuum, oppidorum, villarum et praediorum utilitatibus et pertinentiis, videlicet tributis, terris arabilibus, cultis et incultis, vineis et vinearum promontoriis, pratis, silvis, nemoribus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis et locis molendinorum, ac iure patronatus ecclesiarum, et generaliter quarumlibet utilitatum et pertinentiarum dictorum castrorum, districtuum, oppidorum, villarum et praediorum integritatibus, quovis nomine vocitatis sub suis veris metis et metarum antiquis limitibus, de omnium Praelatorum, Baronum et Nobilium regni nostri, in hac congregatione generali eorumdem, hic nobiscum existentium, totum scilicet regnum nostrum Hungariae repraesentantium, consilio et assensu et collaudatione, imo eis omnibus petentibus et instantibus, praefato Comiti Joanni, suisque filiis et haeredibus ac posteritatibus universis de manibus nostris regis, cum omni eo pleno iure, quo nostrae regiae incumbunt collationi dedimus, donavimus et contulimus, imo damus, donamus et conferimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam, salvo iure pleno. In quorum omnium memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus literas nostras authentici sigilli nostri secreti, quo ut rex Hungariae utimur, appensione roboratas, quas in formam privilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Posonii feria tertia

proxima ante festum Purificationis Beatae Mariae V. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, regni autem nostri anno tredecimo. — Alterius vero, scilicet Capituli Transilvaniensis, tenor sequitur in haec verba:

Capitulum Ecclesiae Transilvaniensis, omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris praesens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam, harum serie volumus pervenire: quod nos litteras introductorias pariter et statutoriales serenissimi Principis Domini D. Ladislai, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regis, ac Austriae et Stiriae Ducis, Marchionisque Moraviae etc. Domini nostri naturalis atque gratiosissimi, nobis directas summa cum reverentia recepimus, in haec verba: Ladislaus, Dei gratia Hungariae (ut supra). Fidelibus nostris Capitulo Ecclesiae Albensis, partium Transilvanarum salutem et gratiam. Cum nos pro fidelitatibus et fidelium servitiorum meritis, sincerisque complacentiis fidelis nostri, sincerae dilecti spectabilis et magnifici Joannis de Hunyad, pridem dicti regni nostri Hungariae Gubernatoris, nunc vero Comitis perpetui Bistricensis, per eum Maiestati nostrae ac sacrae coronae, regni nostri Hungariae sub locorum et temporum varietate cum omni fidelitatis constantia exhibitis et impensis, castra nostra Gergen, in Comitatu de Thorda, ac Dewa, in Comitatu de Hwnyad, partium nostrarum Transilvanarum, habita simul cum cunctis districtibus, oppidis, possessionibus, villis et praediis ad eadem pertinentibus, ac tributis et iure patronatus, ecclesiarum earumdem, nec non cunctis utilitatibus et pertinentiis eorumdem quibuslibet, serie aliarum

nostrarum litterarum donationalium, exinde confectarum, de manibus nostris regiis praefato Comiti Johanni, suisque filiis et haeredibus ac posteritatibus universis in perpetuum conferendum duxerimus, velimusque per nostrum et vestrum homines in dominium eorumdem et earumdem legitime facere introduci; igitur fidelitati vestrae praecipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Elias de Sdaach, aut Johannes de Bathyzfalva, vel Stephanus de Losard, sive Michael de Wayonkereszth, sive alter Michael de Lengyel, seu Nicolaus de eadem — — Thomas de Tholdaleg, aut Laurentius de Jara, vel Georgius Menhar de eadem — — Bartholomaeus de Chan, sive Blasius de Rakosd, aliis absentibus homo noster ad facies dictorum castrorum, oppidorum, districtuum, villarum et praediorum ac easdem spectantium et pertinere debentium, vicinis et commetaneis eorumdem universis inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo introducat, praefatum Joannem in dominium eorumdem, statuatque eadem et easdem eidem simul cum iure patronatus, ecclesiarum earumdem praemissae nostrae donationis titulo ipsis incumbente, perpetue possidenda, si non fuerit contradictum, contradictores vero, si qui fuerint, evocet eosdem contra praefatum Comitem Johannem in praesentiam Waivodarum nostrarum partium Transilvanarum ad terminum competentem, rationem contradictionis eorum reddituros. Et post hec huiusmodi introductionis et statutionis seriem cum cum contradictorum et evocatorum, si qui fuerint, vicinorumque et commetaneorum, qui praemissae statutioni intererunt, ac oppidorum, possessionum, villarum, praediorum et locorum, tributorum, ei-

dem Comiti Johanni statuendorum et ad praefata castra pertinentium nominibus et termino assignato, eisdem Waivodis more solito rescribatis. — Datum Viennae tertia die festi Pascae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, regni autem nostri anno tredecimo. Nos itaque mandatis praetacti serenissimi Domini nostri regis obtemperare cupientes, prout tenemur, unacum praedicto Michaele de dicto Wayonkereszthe, homine suo regio, unum ex nobis, videlicet honorabilem virum, Dominum Dominicum, Archidiaconum de Doboka, socium et concanonicum nostrum, ad praemissam introductionem et statutionem faciendam, nostro pro testimonio transmisimus fide dignum, qui demum exinde ad nos reversi uniformiter retulerunt, quod ipsi feria secunda proxima post festum sacratissimi corporis Christi, proxime praeteritum ad facies antedicti castri Dewa vocati, consequenterque districtuum, oppidorum, possessionum et villarum immediate infrascriptarum, utputa Dewa Zentandrás, Zanthohalom, Wamhel, Arky-Almas, Keresst, Tythews, Aranyos, Kawa, Thersek, Lesnik, Dombrawycza, Denczasty, Boya. Item Joffy, pertinentiarumque eiusdem Solmos, Berekzos Nyavalas, Bwryanfalva, Bossal, Karachonfalva, Keczkedeg, Fyzesd, Topolcha, Alsokalantelke, Felsewkalantelke, Tothy, Zeczel, Zenthgywrgh, Rachaler, Jopatak, Gonoszpatak, Berekthe, Kwred, Oroszfalu, Strigfalva, Alsonadasd, Felsewnadasd, Lenczyna, Tonokos, Waralya, Thopol, Zenthpeter, Waad, Nalacz, Reya, Bodogazzonfalva, Karwlyws, Fejerwyz, Bayosd, Thata, uterque Lywald, Ponor, Poros et Marzesd vocatarum ad praescriptum castrum Dewa pertinentium, omnino in Comitatu de Hunyad pras-

dicto existentium habitarum, nec non locorum, tributorum, vicinis et commetaneis eiusdem earumdem universis, inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo introduxissent, praelibatum Comitem Johannem in dominium eiusdem et earumdem; statuissentque idem et easdem eidem simul cum iure patronatus ecclesiarum earumdem cum cunctis eiusdem et earumdem utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, praemissae donationis titulo ipsi incumbenti perpetuo possidendum. Nemine penitus contradictore apparente, tribus continuis diebus in faciebus eiusdem et earumdem, iuxta regni consuetudinem moram facientes. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem praesentes literas nostras privilegiales sigillo nostro pendenti munimine roboratas eidem duximus concedendas. Datum decimo octavo die introductionis et statutionis praenotatarum anno Domini supradicto. Honorabilis et discretis viris Domino Andrea, Praeposito, Antonio decretorum doctore, Cantore, Michaele Custode, Gregorio de Lippa Decano, caeterisque Canonicis dictae Ecclesiae nostrae, salubriter existentibus et devote.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus pro parte et in persona praefati Comitis Johannis nobis modo quo supra porrectis, regia benignitate exauditis, clementer et admissis, praetactas utrasque litteras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, imo mera et sincera integritate praepollentes, praesentibusque litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas, quoad omnes earumdem continentias, clausulas et articulos eatenus quatenus eaedem rite et rationabiliter sunt emanatae, viribusque earum veritas sufra-

gatur, acceptamus, approbamus et ratificamus, easque nihilominus consideratis de novo et ad memoriam reductis multiplicibus servitiis et pluribus obsequiosis ac virtuosis operibus antefati Comitis Joannis ex abundantiori favoris gratia, pro eodem Com. Joanne, ipsiusque haeredibus et posteritatibus universis, simul cum donatione et statutione suprascriptis, ac nominibus possessionum ac pertinentiarum, in ipsis litteris statutoriis consignatarum innovantes, perpetuo valituras confirmamus salvo iure alieno. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras pendentis secreti sigilli nostri, quo ut rex Hungariae utimur, munimine de novo roboratas. Datum Pragae, per manus venerabilis viri, Domini Nicolai Izarius, Praepositi Ecclesiae Agriensis, Vicecancellarii nostri dilecti et fidelis, feria tertia proxima post festum Pentecostes. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, Regnorum autem nostrorum anno Hungariae decimo quinto, Bohemiae vero primo.

Apud Spiess Aufklärungen. Anhang Nr. 5.

LXIV.

Ladislaus, Joannis de Hunyad filius, regnorum Dalmatiae et Croatiae Banus. An. 1453.

Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Austriaeque et Stiriae Dux, nec non Marchio Moraviae etc. Fidelibus nostris Judici, Juratis, caeterisque civibus et toti communitati civitatis nostrae Kesmark salutem et gratiam. Certa relatione didicimus, quomodo nonnulli latrunculi sumta occasione nostrae absentiae, sub nomine et ductu cuiusdam Axameth, congregati in terra no-

stra Scepus, et partibus illis vicinis, erectis fortalitiis, plurimas hominum et rerum praedas faciunt et incolis illarum partium multa ingerunt mala et nocumenta; et quod adeo iam eorum praesumtio invaluit, ut novissimis diebus plures nostros fideles ad eos compescendos congregatos, in campestri bello conflixerint. Cupientes igitur tempestive eorum malitiae resistere, fidelem nostrum, spectabilem et magnificum Ladislaum de Hunyad, Comitem Bistricensem, et regnorum nostrorum Dalmatiae et Croatiae praedictorum Banum, contra praefatos malefactores in subsidium illius terrae duximus deputandum. Quapropter fidelitati universitatis vestrae firmiter praecipientes mandamus, quatenus visis presentibus, dum et quam primum per dictum Comitem Ladislaum aut homines suos cum litteris suis fueritis requisiti, in continenti omnes universaliter cum omnibus vestris ingeniis, exercitualiter insurgentes illuc quo praefatus Ladislaus Comes commiserit, proficisci et contra praefatos praedones ea omnia agere debeatis, quae ipse Comes Ladislaus duxerit facienda; — secus sub poena gravissimae nostrae indignationis facere non ausuri. Datum Viennae, feria sexta proxima ante festum Pentecostes. Anno Dom. MCDLIII. regni autem nostri anno XIII. L. S.

Ex archivo Kesmarkensi. Fuit Ladislaus, filius Johannis de Hunyad, Comes etiam Posoniensis, ut litterae ipsius in archivo Poson. testantur. — Axamith Bohemus, ut Aen. Sylvius ad Pontificem Nicolaum V., epistola 162. docet, postquam Giscram Scepusio amotum audivit, terramque milite vacuam agnovit, congregata non parva latronum manu, quasi in eius locum suffectus, regionem invasit. Praedae An. 1458. a Sebastiano Rozgon victus et occisus finem fecit; ita donat. Mathiae Corvini Rozgonio datae.

LXV.

Joannes de Hunyad, Comes perpetuus Bistriciensis, libertates ac conditiones civibus de Bistricia largitur. A. 1453.

Nos Joannes de Hunyad, pridem regni Hungariae Gubernator, nunc vero perpetuus Comes Bistricensis et supremus Capitaneus regiae Maiestatis, in regno Hungariae constitutus, ad sempiternam rei memoriam tenore praesentium volumus pervenire, quod postquam nos, divina favente clementia, dominium Comitatus et civitatis nostrae Bistriciensis adepti sumus, mox dignam et gratissimam meditationem praecipue in eo habuimus, ut iidem divitiis opulentis, sic non minus numero et multitudine civium, hospitum, populorumque, inhabitatorumque augerentur, atque multiplicarentur, in omnibus successibus et votivum susciperent incrementum. Supplicationibus igitur fidelium nostrorum dilectorum, iudicis, iuratorum, caeterorumque civium et hospitum dictae civitatis nostrae Bistriciensis, ac pertinentiarum eiusdem in ipsorum et totius communitatis eiusdem civitatis nostrae et suarum pertinentiarum nominibus et personis, nobis propterea porrectis, favorabiliter inclinati, eidem civitati nostrae Bistricensi et suis pertinentiis sana et matura deliberatione nostra praehabita, infrascriptam perpetuam libertatem duximus dandam, donandam et conferendam; primo: quod dictam civitatem nostram cum suis pertinentiis, quae semper libera civitas fuit, in omnibus istis libertatibus et gratiarum praerogativis, quibus ipsi temporibus divorum regum Hung. usque modo usi, freti ac gavisi fuerant, sine aliqua divisione et sequestratione tenebimus, fovebimus et conservabimus; annuentes eisdem, ut ipsi seu eorum

posteritates, pro factis et rebus, necessario incumbentibus et successivis temporibus expedire debendis, quae tamen libero comitatui nostro et iurisdictionibus nostris non praeiudicant, in colloquium, tractatus et congregationes septem sedium saxonicalium et nobilium — partium nostrarum Transilvanarum ire et accedere valeant, atque possint, causasque ipsorum aut alteram eorumdem pro tempore emergentis interrogationis septem sedium saxonicalium, prout antiqua laudabilis consuetudo eorum hactenus observata fuit conducere habeant facultatem. Praeterea eosdem sub eisdem sigillo et signeto vexilli seu banderii, quibus ab olim per divos reges sunt condonati roboramus et confirmamus; et quod quaelibet domus seu curia singulis annis pro censu nobis circa festum B. Martini Confessoris, tam in ipsa civitate nostra Bistriciensi, quam in dictis suis pertinentiis, duos lothones argenti, inquilini quilibet unum lothonum argenti, a 10 iugeribus terrae arabilis, in territorio eiusdem civitatis nostrae existentibus, quilibet civitatensis seu villanus eandem terram possidens, unum lothonem argenti, villani vero per se a servitio, aratra vocato, a tribus aratris, unam marcam argenti; a quolibet molendino, cuius rota subtus volvitur, mediam marcam argenti; a molendino vero cuius rota superius volvitur, quatuor lothones arg., sicuti temporibus quondam D. Sigismundi Imp. Regis et aliorum divorum regum Hungariae consuetudo laudabilis extiterat, nobis et haeredibus nostris solvere teneantur. Et ut ipsa civitas nostra simul cum suis pertinentiis in ipsa solutione remaneant, neque nos, neque successores nostri huiusmodi meliorarent, nec augmentarent, spopondimus modo aliquali et sine omni immutatione. Dum autem necessariae expensae

pro diversis factis eiusdem civitatis nostrae et suarum pertinentiarum expeditione de medio ipsorum dictae civitatis et suarum pertinentiarum recolligantur, hoc modo videlicet: quod XV. villae superiores ad dictam civitatem nostram pertinentes, duas partes florenorum seu denariorum persolvant; inferiores vero villae videlicet — quartam partem, ipsaque civitas nostra Bistriciensis quartam partem florenorum seu denariorum modo simili persolvere teneantur; quemadmodum antiqua laudabilis consuetudo hactenus fuit observata. Item ipsa civitas nostra simul cum suis pertinentiis, nobis LX. marcas argenti singulis annis videlicet provinciae superiores circa festum nativitatis B. Joannis Baptistae XXXV. marcas et IV. lothones argenti; ipsae vero inferiores provinciae circa festum B. Martini Conf. XXIV. marcas et tres lothones argenteos; pro censu eorum, quem ipsi alias Comitibus Siculorum dedissent, dare teneantur, ut extitit temporibus Comitum Siculorum observatum. Exercituationis autem temporibus ipsa civitas nostra, simul cum suis pertinentiis, cum tantis personis et numero, quo et quantis tempore dicti quondam Domini Sigismundi Imp. et Regis exercituaverunt cum eorum banderio exercituare teneantur. Insuper etiam nullus officialis seu iudex Hungarus in sede iudiciaria tam dictae civitatis nostrae, quam villarum, ad eam pertinentium, ultra alias consuetum habeat potestatem accedendi, aut ad faciendas expensas quascunque, velut ab antiquo fuit observatum. Castellani etiam in castro nostro Bistriciensi constituendi, praesentes et futuri, nullam potestatem supra dictam civitatem nostram et pertinentias suas habeant, nec ipsos seu eorum alterum ad aliqua servitia cogere, arctare et compellere possint quoquo modo: neque ipsi castel-

lani nostri in silvis, pratis, fenetis, vineis, libris, mensuris, ulnis, velut ab antiquo observatum est, quicquam habeant vigoris aut potestatem; nec ulteriores labores castri nostri et eiusmodi similia onera ipsi civitati nostrae et suis pertinentiis imponemus. Tributum vero, in possessione nostra Radna exigi solitum, prout tempore annotati D. Sigismundi Imp. et Regis usque ad tempora quondam D. Adalberti regis exactum fuit, ab iisdem civibus et inhibitoribus dictae nostrae civitatis Bistriciensis, et suarum pertinentiarum, ita et eodem modo exigi, recipere et extorquere faciemus. Insuper ex nostra liberalitate annuimus et concedimus, praefatis iudici, iuratis, caeterisque civibus et toti communitati dictae civitatis nostrae Bistriciensis, ut ipsi et eorumdem successores universi, plebaniam parochialem Ecclesiae S. Nicolai Conf. in eadem civitate nostra Bistriciensi constituere, dum et quando eadem legitime vacaverit, idoneis et bene meritis personis, quibus maluerint, perpetuis universis temporibus conferendi habeant facultatem. Quas quidem supradictas libertates, indulta et concessiones nos Joannes de Hunyad Comes videlicet praefatus, nostro ac haeredum et successorum nostrorum nominibus et in personis annotatae civitati nostrae Bistriciensi et suis pertinentiis, quemadmodum temporibus divorum regum Hungar. praefuerunt, cum declarationibus et conditionibus suprascriptis dedimus, donavimus et contulimus. — — In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras sigillo nostro impendenti communitas dictae civitati nostrae Bistriciensi et suis pertinentiis duximus concedendas. Datum in civitate nostra praefata Bistriciensi in festo B. Mariae Magdal. Anno Dom. MCDLIII.

B. MSS. Cornidesianis. Tom. IX. Per annos VII. quibus gubernio regni functus est, iure etiam monetae cudendae usus est, cuius aureae aversa pars usitatam S. Ladislai regis effigiem continet, adversa vero corvum gentilitium cum insignibus Hungariae, sic inscripta: Johannes D. Hw. Hungariae gu—. Habuit etiam numos argenteos. — Alias quoque litteras, qua Com. perp. de Bistricia edidit.

LXVI.

Joannes de Hunyad, Comes Bistriciensis, Capitaneus regni generalis, constitutus. An. 1454.

Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Austriaeque, Silesiae et Stiriae Dux, nec non Marchio Moraviae, Lusatiae etc. — Fidelibus nostris universis, Praelatis, Baronibus, Nobilibus et alterius cuiusvis status et conditionis hominibus possessionatis, in Comitatu constitutis et existentibus salutem et gratiam. Crebrarum et invalescentium novitatum, notabilium omnium fide dignorum huius regni nostri Hungariae pericula formidantium patefactione edocti sumus luculenter: quomodo perfidissimus Imperator Turcarum potentissima paganorum coadunatione, solito multiplicata magis, in finale exterminium firma intentione machinetur, h c regnum no trum Hungariae subintrare. — Proinde nos vigili advertentia in animo revolventes, ne, velut olim hoc regnum Hungariae ex Tartarorum invasione improvisa, inanimadvertentia regnicolarum in flebilem ruinam fuerat positum, et in praesentiarum in evitabili cursu dicti Imperatoris Turcarum et campestri conflictu indis-

positos, quod Deus avertat, nos contingat periclitari, et totius huius regni machina, sacra religione christiana imbuta, penitus diruatur, quemadmodum etiam in proximis diebus evolutis exemplari intuitu civitati Constantinopolitanae per eundem imperatorem Turcorum illatum fore, iam experti sumus manifeste; ea propter praedicti fideles nostri Praelati, Barones, Nobiles et Proceres dicti regni nostri Hungariae, unacum certis electis nobilibus hominibus singulorum comitatuum eiusdem regni nostri, quibus per alias literas nostras superinde dederamus in mandatis, in hac civitate nostra Budensi undecim his diebus congregati, super eo, qualiter huiusmodi ipsius imperatoris Turcarum invasio praestolanda, valeret tutius evitari; uniformem habentes tractatum, et deliberationem nos cum eisdem validam exercitualem ad natalem patriam nostram, Altissimo propitio, defendendam adversus paganorum insultus exercitum decrevimus instaurandum, quod praesentibus litteris nostris sub certorum articulorum inclusionibus subnotandis, vestris fidelitatibus notificandum duximus, videlicet: Quod primum spectabilem et magnificum Joannem de Hunyad, perpetuum Comitem Bistriciensem infra praesentis integri revolutionem anni Capitaneum generalem instituimus huius exercitus nostri instaurandi. Item (insurrectio nobilitatis indicitur). Item omnes liberae civitates, tam nostrae regales et reginales, quam Dominorum Despoti et Comitis Ciliae aut aliorum Magnatum, nec non totum regnum nostrum Sclavoniae, de quibus lucrum camerae nostrae solvi non consuevisset, modo praemisso connumerari debeant, et similiter Philistaei, Cumani, Valachi et Tartari connumerari debeant exercituare. — — Praeterea — Quocirca — Datum

Budae in festo conversionis B. Pauli Apostoli. Anno Domini MCDLIV.

In corpore iuris patrii. Insurrectio haec congregata haud est, Joannes de Hunyad suismet gentibus bellare necessitatus.

LXVII.

Eiusdem virtus bellica, pietasque in patriam. An. 1454.

Serenissime Princeps et Domine nobis semper gratiosissime! Cum omni reverentia recepimus litteras vestrae Serenitatis et eorum contenta intelleximus. Ex parte igitur saevissimorum Turcorum crucis Christi persecutorum, ac de eorumdem Turcorum gestis, potentia, habitudine, progressu, infestatione et perversa intentione vestr. Serenitatem possumus certitudinaliter avisare et certificare, quod saevus ille Mahumed-beg Chalappya, Dominus et Imperator Turcorum, violata fide paganissima, ruptaque treuga et pace, quam cum ipso eo tempore, quo Serenissimus Princeps et Dominus noster naturalis et gratiosissimus Dominus Ladislaus, Dei gratia rex Hungariae et Bohemiae, patruus vestrae Serenitatis, sub educatione eiusdem vestrae Serenitatis confovebatur et tenebatur, pro parte regni et ducatus Domini regis Ladislai, per terminum Hungariae et Rasciae feceramus et firmaveramus, cum infinita nationum suarum barbaricarum, coadunataque potentia Tartarorum, Saracenorum et Carimanorum, et aliarum diversarum mixtarum nationum, de orientalibus partibus hostiliter irruit et intravit in regnum Rasciae praefati Domini nostri Ladislai, de quo illustrem Dominum Georgium, eiusdem Rasciae Despotum eiecit et expulit, et plusquam quinquaginta millia hominum seu animarum absportavit, ipsum re-

gnum vero omnino conquassavit et concremavit; captaque exteriori civitate Zendero obsidens circumvallavit. Nos autem quantum cum Dei auxilio in moderna absentia ipsius Domini nostri regis Ladislai, pro suorum regni et ducatus defensione facere potuimus, personaliter cum gentibus nostris transivimus, contra ipsos Turcos et Mahumed-Beg, qui postquam adventum nostrum illuc persensit, ab ipsa obsidione se removit, et retro cessit in Bulgariam, in civitatem suam Sophia appellatam, dimisitque in ipso regno Rasciae quemdam Waivodam nomine Friczbeg principaliorem suum Capitaneum cum triginta duobus millibus paganorum infidelium circa partes Krusolicz, cum quibus conflictum habuimus, et Deo nobis auxilium ferente, ac per bonam fortunam dicti Domini nostri gratiosissimi Ladislai, ipsos debellavimus, ipsumque Friczbeg Capitaneum captivavimus, cum aliis pluribus nobilibus Turcis, quos de praesenti nostra tenemus captivitate, dominia ipsius imperatoris turcici usque ad civitatem Pirotha concremavimus et combussimus. Inde venimus ad civitatem suam Budinum, eandem consimiliter cum omnibus districtibus et pertinentiis suis concremavimus, nuncque ipse Imperator Turcarum in vindictam huius de civitate sua Adrianopoli exeundo cum sua tota potentia et exercitu validissimo iacet in campo, inter dictas civitates Sophia et Pirotha, intenditque invadere regnum Hungariae, idemque regnum continuo impetit, infestat et damnificat; nos etiam hic stamus, et si contra nos venerit, — pugnabimus cum eodem (succursum imperatoris iteratim poscit). Offerimus nos ad omnia servitia non minus serenitati vestrae, quam Domino nostro regi Ladislao, Domino nostro naturali servivimus promte et parate. Datum

in Castro Nandoralbensi. Anno Dom. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto.

E Codice Mellic. MS.

LXVIII.

Ladislai regis mandatum erga Johannem de Hunyad litteras. An. 1454.

Ladislaus Rex Gubernatori regni Hungariae. Spectabilis ac magnifice, fidelis noster, grate et sincere dilecte! Quemadmodum sua fidelitas nobilibus et egregiis fidelibus nostris, Vlrico Eyzinger, Pancratio de Plankenstein, consiliariis nostris, et Georgio Detzner, hubarum nostrarum Magistro, in Austria, super aliquibus et certis notabilibus negociis, nos et regnum Hungariae concernentibus fecit notificationem; ita ipsi consiliarii nostri id ipsum in nostrae Serenitatis notitiam deduxerunt, et ipsa nos negocia sano collegimus intellectu. Et sicuti tua fidelitas inter alia scribit quomodo Praelati, Barones et nobiles regnicolae regni nostri Hungariae decem et octo, sex ex Praelatis, sex ex Baronibus et sex ex nobilibus eiusdem regni, pro regimine eiusdem regni nostri Hungariae deputassent, ut tua fidelitas neque sub Gubernatoris, sed neque capitis titulo, sed solum tantum, ut alter inhabitator huiusmodi regni Hungariae existere debeat. Vnde non ambigimus, quod fidelibus nomen tuae memoriae non sit exosum, quando nos praesente Praelatorum, Baronum et Nobilium regni nostri, iam fati Hungariae multitudine copiosa, in civitate nostra Viennensi et etiam ex post hic Pragae in praesentia consiliariorum nostrorum ipsum regimen, ac etiam omnia proventuum et utilitatum eiusdem regni nostri Hungariae levationem

et perceptionem tuae fidelitati commisimus, quae sic prudenter atque fideliter gerere, facere, regere, exercere, ac tenere et expedire, nec non regni honorem et utilitatem et commodum in ipso regno Hungariae, et aliis locis secundum totam tuam possibilitatem attollere et promovere spopondisti ac promisisti. Si vero pronunc decem et octo et modo pro regimento antedicti regni nostri Hung., prout praemittitur deputati ac constituti existerent, id ipsum absque fama et commissione nostri factum est. Vhi autem tua fidelitas decem et octo, plures aut minores numero, tamquam nostri capitis ipsius regni Hungariae ipso tempore absentiae nostrae pro consilio et auxilio, sub illo respectu et consideratione, sicuti a nobis recessisti, regimen illud recturus, pro omni statu meliori driecturus, pro te et subsidio tuo recepisses vel assumsisses, vel reciperes aut assumeres de praesenti, id tuae fidelitati non imputaremus, et pro signo voluntatis nostrae Serenitatis exstitit, quod tu capitaneatum in omni eo ordine, modificatione et limilitatione, sicut tibi commisimus et deputavimus, ac te ipsum ad ipsius expeditionem et regimentum benevolum reddidit et obligatum, fideliter et diligenter teneas, exerceas et prosequaris. Praeterea non ambigimus, quin bene memor existas, quantis gratiis, honoribus et bonis atque donis tua fidelitas et filii et haescdes tui consolati per nostram Maiestatem exaltati. — Nihilominus esses nobis obligatus, si aliquis praeter nostram voluntatem et sententiam rectorium regimen, vel aliquam potestatem in regno nostro Hungariae assumere attentaret, tali in eo nullatenus consentires, neque ipsum in talibus admitteres, quin veritus existeres pro viribus in talibus, sicuti facultatem ad id haberes. Porro in fu-

cto Joannis Giskrae requirimus et petimus tuam fidelitatem, ut factum ipsum ita prosequaris, sicut tibi per fidelem nostrum Joannem Lemel intimavimus, ita et taliter, ut nobis et ipsi regno Hungariae damna et incommoda non eveniant. Etiam ex parte ipsius Nankenreuter videtur Serenitati nostrae, ipso regno nostro Hungariae eidem bene resisti posse, cum ipse Nankenreuter non plures in equitibus et expeditionibus habeat, quam XVI. M. secundum, quod Serenitas nostra existit informata, et in ea re optans a tua fidelitate, quod tu cum tota tua diligentia ac tota et totius praefati regni nostri potentia id facias, quo mediante ipsius Nankenreuter voluntas et malignitas subito intercipiatur, imo reprimatur, quoniam in praesentiarum tam arduis negotiis regni nostri Bohemiae et caeterorum nostrorum regnorum ita praepediti et multipliciter occupati sumus, quod de istis regnis nostris et abinde tam subito nostram regiam adiicere non possumus defensionem, ubi autem aliquis alter fortior et potentior secum pro ipsius fortificatione ingerere et interponere vellet, extunc sumus omnino voluntarii pro debita resistentia facienda, tanquam rex Hungariae, qui non libenter temporibus suis destructionem et incommoda ipsius regni intueri vellet. Vbi autem scribis de negotio inter dominum nostrum avunculum, dominum Imperatorem Romanorum, ad nos habito, requirimus fidelitatem tuam, ut cum Praelatis et Baronibus et regnicolis nostri regni Hungariae, ac etiam consiliariis ducatus nostri Austriae cogites, provideas et quoque concipias, qualiter ipsum negocium in bonum finem et quietem sedari et dissipari valeat. Praeterea ex parte illorum trium millium florenorum auri, pro expeditione itineris et negotiorum Sere-

nitatis nostrae versus Polonium, ac illorum quinque millium florenorum auri, quae illis stipendiariis, qui in terra nostra Scepusiensi servierunt, exbursari et exsolvi et administrari debuissent, confidimus tuae fidelitati omnino, benc et plene, quod eadem sine dilatione administrabis rectoribus ducatus nostri Austriae, secundum quod tu te erga nos obtulisti, et etiam promisisti. Nos etiam speramus, quod tua fidelitas expediat, quod plenam in te habemus confidentiam, quod volumus erga generose recognoscere, et in omni bono refundere quovis tempore. Dat. Pragae anno Domini MCDLIV.

Ex eodem Cod. Mellic. MS. Mox idem Joannes de Hunyad ne inimicitiae inter Fridericum Imp. et Ladislaum R. H. obortae bello in Turcas suscipiendo impedimento essent, pacem impensa opera conciliare adlaborabat; ast tam in Conventu Neostadiensi, quam in Francofordiensi — profectum est nihil. Conf. epistolam Aeneae Sylvii. Ibidem uro XIII. folio 211.

LXIX.

Idem Com. Bistriciensis generalis regni Capitaneus. A. 1454.

Ladislaus, Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Austriaeque et Stiriae Dux, ac Marchio Moraviae etc. Fidelibus nostris providis et circumspectis, universis et singulis Saxonibus septem et duarum sedium saxonicalium, partium nostrarum Transilvanarum salutem et gratiam. Licet hucusque necessariae quaedam occupationes ingressum nostrum in illud regnum Hungariae cupito longius suspenderint, ne tamen vel absentia nostra eidem regno esset damnosa, memores debiti officii nostri pro modo nostrae aetatis frequenti et mentis discursu

et opere adhibito, curam habuimus relevandorum laborum et servandae salutis reipublicae regni illius, tum quia illud prima et principalior nostra est haereditas, tum vero quoniam terra illa longis iam, pro vicinitate loci, barbarorum insultibus fatigata defensoris dextra amplius eget. Itaque ut alias nostrae diligentiae pro ea re datas operas missis nuper oratoribus nostris ad dietam, circa praeteritum festum B. Michaelis Archangeli Frankfordiae celebratam, Principes Alemaniae et alios, quorum eo loci magnus Conventus habitus est, aggressi fuimus pro obtinendo succursu contra gentem Turcorum, quorum praesumtio praeteritarum quarumdam victoriarum, sed et nomen christianum, quantum in ea etiam exstinguendum putat. Qui autem iam novissime remearunt ad nos oratores nostri votivum ferentes responsum; quod videlicet ipsi Alemaniae et alii Principes suprascripti, denuo in eam rem universaliter concordes, more generalis passagii ad ver futurum seu principium aestatis venturae contra Turcos praedictos magna et dictis nostris oratoribus expressa potentia nobis succurrere et nobiscum concurrere firmiter promiserint, volentes tamen et a nostris oratoribus exigentes, ut quarto decimo die festi purificationis B. Mariae Virginis proxime affuturo, apud serenissimum Principem Dominum Fridericum Imp. Romanorum, huius scilicet nogocii bonum promotorem, ubi tunc oratores omnium Principum, pro hac re intererunt, uterque Gubernator cum aliquibus aliis notabilibus de utroque regno nostro constitui debeant, cum plena informatione et mandato omnium vestrum, qui se mutuo cum ipsis oratoribus Principum intelligere, eisque de potentia et facultatibus, signanter regni nostri Hungariae, expresso

scilicet numero gentium, quae ab illinc ad hanc rem parari possunt, responderé ac de die et loco conventionis utriusque exercitus concordare possint, absque alio discursu atque more. Vt ergo satisfiat huiusmodi voluntati principum ac necessitatis negocio et ut nos, qui ipsos principes in hac re sollicitando praevenimus, etiam promptitudine praecedamus; — fidelitati universitatis vestrae et vestrum cuiuslibet firmiter praecipiendo mandamus, quatenus quatuor ex vobis, cum pleno mandato et facultate statuendi et ordinandi, prout illud regnum nostrum Hungariae secundum totas vires omnium terrigenarum, generalem contra Turcos exercitum anno duraturum, ac disponendi et mittendi ad Imperatorem praedictum nostrum, spectabilem et magnificum, Johannem Comitem Bistricziensem, generalem Capitaneum nostrum, et aliquos alios fideles regnicolas, cum plena informatione et facultate respondendi, nomine totius regni illius oratoribus principum praedictorum, super omnibus et singulis de compoto (conputu) gentium, quam de toto illo regno levari posse videbitis, et concordandi cum eisdem super loco et die conventionis exercituum ac ad alia nostra necessario expedienda, ad illam conventionem Praelatorum et Baronum nostrorum illius regni, quam iam pridem multis etiam aliis ex causis fieri iussimus, aut si illa conventio iam facta est, extunc ad festum Epiphaniarum Domini proxime venturum, in civitatem nostram Budensem, ubi eo casu ipsos et Barones, ac etiam alios regnicolas nostros pro hac re de novo convenire iussimus, transmittere debeatis; secus sub pena capitis et occupationis possessionum vestrarum per dictum Capitaneum nostrum fiendae, facere non ausuri; quoniam negligentiam

quantulam cunque in hac re fieri et nobis et vobis non solum indecorum esset, sed etiam periculosum. Datum Pragae, secundo die festi B. Bricci Confessoris Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, regnorum autem nostrorum anno Hungariae etc. XV., Bohemiae vero secundo.

Ex archivo civitatis Sax. Cibiniensis.

LXX.

Idem cum Praelatis ac Baronibus regni diaetam prorogat. An. 1454.

Raphael, Archiepiscopus Colocensis, Michael, Episcopus Quinqueecclesiensis, Joannes de Hunyad, Comes perpetuus Bistriciensis ac Capitaneus regni Hungariae generalis, Ladislaus de Gara, eiusdem regni Palatinus, Nicolaus de Ujlak, Waywoda Transilvanus, et Joannes de Kurogh, Banus Machoviensis, caeterique Praelati, Barones et Nobiles huius regni Hungariae, nunc in Varadino Petri congregati, providis et circumspectis universis et singulis Saxonibus septem sedium saxonicalium, partium Transilvanarum salutem et amicitiam debito cum honore. Rediens novissime ab Serenissimo Domino nostro rege, venerandus in Christo Pater Dominus Johannes, Episcopus Varadiensis, Secretarius Cancellarius Serenitatis suae, unacum nonnullis aliis oratoribus eiusdem Serenitatis, plura ad nos mandata detulerat. In quibus inter caetera de modo ingressionis suae Serenitatis in hoc regnum et generali exercitu contra Turcos faciendo, pro quo plura et magna iam subsidia a Principibus Alemaniae conquisivisse Serenitas sua intimat, per nos responsiones optat, vultque Serenitas sua pro his et aliis rebus, quae

iidem oratores detulerunt, unam congregationem Praelatorum, Baronum et Procerum huius regni sui celebrare, prout ex litteris eiusdem Serenitatis cum praesentibus vobis exhibendis, plurimum accipietis, et quum ad terminum in dictis litteris Domini nostri regis expressum propter eius brevitatem regnum hoc commode congregari non posse, visum fuit; ideo communi omnium consilio ac etiam de praetactorum oratorum assensu, praetactam congregationem nostram ad quindecim diem festi Epiphaniarum Domini nunc venturum, prorogantes, Fraternitates vestras hortamur requirimus et quantum possumus, rogamus, quatenus iuxta mandatum et litteras praefati Domini nostri regis quatuor ex vobis, vel quot velitis, ut cum illis et aliis fratribus nostris congregandis, tam praefato Domino nostro regi respondere, et de statu praetacti generalis exercitus tractare et concludere valeamus; aliud iterum rogamus, quod non faciatis et terminum ipsum non negligatis, quoniam iudicio nostro, eiusque ad ineundam huiusmodi hoc regnum maiora et utiliora negocia tractanda non habuit, quam ea, quae in ipsa conventione sunt concludenda. Datum in Waradino Petri praedicta, feria quinta proxima ante festum B. Thomae Apost. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto. L. S.

Indidem. Diaetam hanc celebratam rite fuisse Litterae Com. Ladislai de Palocz, Judicis Curiae regiae ibidem editae cordocent, quas dedimus". De authoritate et vi probandi Diplom, Nro. XXXVII. Effectus tamen illius subsecutus haud fuit.

LXXI.

Praeferentia Joanni de Hunyad, Comiti Bistriciensi, data. An. 1455.

Sanctissimo Domino etc. Beatissime Pater post humilem nostri commendationem et oscula pedum beatorum. Concusso terroribus infidelium orbe nostro, graviter ferendum ducebamus, lugubrem hac tempestate et insperatum obitum sanctissimi fel. mem. Domini Nicolai Papae V., qui videlicet magnam suae probitatis opinionem illis potissimum indiciis palam omnibus commendabat, quod in huius pestilentis temporis frigoribus sancto suo apostolico nomini curam pariter ac sollicitudinem apostolici Pastoris adiecerat. At nunc susceptis litteris Beatitudinis vestrae ac simul reverendissimorum de sacro collegio cum intellexissemus quam pio Dei nostri iudicio et ipse praedecessor Sanctitatis Vestrae quieverit, et ipsa vestra Sanctitas successerit, in consolationem versus est moeror noster et luctus in gaudium aequa communis laetitiae cunctis oborta est ratio, par studium et conformis devotio incessit ad gratias superinde auctori bonorum omnium, peragendas, cuius clementi providentia actum percepimus, ut et praedecessor ipse reficeretur digne pro laboribus et successor idoneus piis oneribus praeficeretur. Obiit ille felicem mortem, hic pium laborem adiit: uterque purae devotionis fidelium, purae venerationis cultu prosequendus. Verum inter haec eo respectu praecipue gratulamur, nunc sanctae apostolicae sedi, gratulamur et nobis, ac toti simul reipublicae christianae, cui opportuno recte tempore denunciatum: Pontifex datus, sanctus, religiosus et pius, qui dupplicato sanctissimi praedecessoris sui spiritu erectus, ad cu-

ram fidelium salutaria emittit vota, salutaria spondet obsequia. Significatum enim est nobis S. P. compluribus scripturis et litteris, quo pacto et quo fervore S. V. inter ipsa sui Pontificatus principia se et sua saluti fidelium devoverit, quidque promiserit circa exaltationem catholicae fidei, quid pro liberatione civitatis Constantinopolitanae nuper ab infidelibus captae et quid pariter intendat pro eorumdem infidelium ab Europa expulsione. Magna certe voti huius dignitas, magna dignatio sic voventis. Haec sunt signa vera, haec clara indicia apostolico pastore digna, qui non ante nobis praeesse coepit, quam proesse voluit, praedestinavit equidem afflictis fidelibus aperta pietatis remedia, et in ipso simul vocationis suae exordio miserationis suae officia praesignavit. Restat ex dono Domini, ut quo vovente in iis rebus eodem et executore gaudeamus. Quantum autem nunc quam extreme praesidio S. V. aerumosa christianorum conditio indigeat, tametsi B. V. attentionem non lateat, amplius tamen ex iis, quae legatus apostolicae sedis ex conventu novae civitatis novissime retulit, intelligere potest, ubi post damnum opportuni temporis et spes deceptas, hoc solum actum est, ut hostis noster nihil actum laetaretur. Nescimus quid carius vel deferri eidem vel praerogari potuerit, quam ut hoc tempore Christianorum potentatuum iactantia abutatur; simulacra deinceps non homines obviam armari putat. Accedit huc recens casus calamitatis christianae, qui necessitati communi sublevandae ampliorem causam adiicit. Hostis Turcus, mox ut didicit, perperam ivisse praeconia de viribus et armis christianorum commovendis, apparatus omnes tam concitate, quam contemptae potentiae, quos ad resistendum paraverit, contulit ad nocendum. Ita-

que invasit de novo ducatum Rasciae in ea parte, quae apud Vulgum Scithrycza nominatur; ubi solito more praedae ac rapinis vacans, demum opportunitate accepta arcem et oppidum Novaborda appellatum obsidione constrinxit, oppido primum facile capto, postea arce ipsa insultibus et tormentis pulsata paulo tardius potitus est. Misit deinde ad oppugnandas caeteras arces, paratque totum ducatum illum in deditionem accipere. Quae res profecto, etsi forte relatione tam brevi parva videri possit, grande tamen revera vulnus ex ea suscepimus. Haec e at arx caput illius patriae, haec certe patria nutrix et robur status ducalis in Rascia; solo fertilis, fructibus copioso, minerarum auri et argenti quam maxime ferax. Noverat hostis ipse praecipuum illum durantis defensionis nostrae nervum, noverat et suae impugnationis contrarium obicem; quem callide cognitum mox praecidere et cassare properavit. Is igitur casus priorum cumulo appositus, quid quantumve a S. V. pectore commiserationis exigat, eidem aestimandum relinquimus, quae religiosi et paterni cordis sui iudicio prius flecti coepit ad pietatis commercia, quam rogari. In hoc duntaxat vero B. V. sollicitudinem cum filiali confidentia admonentes, ut in prosecutione voti sui salutiferi opportunitatem concessi adhuc temporis non negligat, neve opinetur fortificato latius hoste, similem praesenti commoditatem exsurgendi redituram, nam sicut nemo est apud nos modo, qui Europam adhuc liberari posse non iudicet, ita post paululum nemo futurus est, qui iudicet. Nemo interim solita constantia, quantum nobis erit possibile, parabimus vires omnes ad conservationem nostram, deliberamusque Ser. V. beneficia etiam cum damnosa mora nostra exspectare. Habemus inter has

exspectationes angustias confortatorem idoneum venerabilem Fr. Joannem de Capistrano Ordinis Minorum, qui peragratis multis partibus Alemaniae, adierat Poloniam, inde per Silesiam ac Moraviam iterum regressus in Austriam concessit, tandem ad has partes, clarus ubique in fidei zelo, clarus in doctrina, apud nos vero pro conditione rerum nostrarum, exhortationibus necessariis clarissimus. Huius sermonibus recreamur, huius devotione reficimur, huius denique merito familiam totam ordinis illius hactenus nobis caram de caetero cariorem amplectimur. Vtilis est statui nostro, opportunus spei et nec minus gerendis rebus quam maxime necessarius; hunc sua virtute S. V. favori dignum nos singulari testimonio denunciamus digniorem, in eoque et cum eo totam illam familiam, quoad omnem eius profectum B. V. devotissime commendamus. Quam Dominus conservare dignetur feliciter consolationi nostrae et regimini prospero Ecclesiae suae sanctae. Datum Budae XXI. Julii MCDLV. E. V. S. devoti filii et oratores.

Dionysius Cardinalis Strigon. Archiepisc.
Raphael Colocensis Eccl. A. Ep.
Ladislaus Agrien. Ep.
Joannes Varadien. Ep.
Johannes de Hunyad, Comes Bistriciensis etc.
Ladislaus de Gara R. H. Palatinus.
Nicolaus de Vjlak Waivoda.
Joannes de Rozgon.
C. Lad. de Palocz, Judex Curiae regiae.
Mr. Joannes de Peren Tav. regal.
Mr. Michael Ország de Guth Curiae regiae.
Mr. Simon Zudar de Olnod Pincern.

Magister Simon de Palocz Agaz. regal.
Oswald de Rozgon C. Siculorum.
Franciscus de Chaak Com. Bihar.
Joannes de Zech Com. Comarom.

caeterique Praelati et Barones, ac Proceres regni Hungariae, primum Jaurini, nunc Budae congregati.

Apud Batthyányi LL. Eccl. Tom. III. fol. 502—4. Nicolao V. die XXIV. Martii defuncto. Callistus III. die VIII. mensis Aprilis suffectus est, qui mox votum nuncupavit, pro Christianis contra Turcas defendendis. — Apud Pray, l. c. folio 156.

LXXII.

Joannis de Hunyad encomia. An. 1455.

Sanctissimo Domino Callisto III. Joannes a Capistrano. Beatissime Pater! — — — Scripseram pridie Tuae Sanctitati, quod serenissimum regem Arragonum spiritualibus et corporalibus armis ornares, et quamvis excellenter potens existat, adhuc Tua Sanctitas potentiorem efficeret. Opus quidem esse, puto, ac nimis opportunum, ut ne tum per mare, sed etiam per terram, huic perfido Christi hosti (Mahomedi) et resistatur viriliter et fortius confligatur. Cum enim hac die colloquium cum dominis praelatis et Baronibus Hungariae habuissem, magnificus et excellens dominus Joannes hactenus Gubernator, Comes Bistricensis, se primum obtulit suis sumtibus et expensis positurum in armis et in exercitu decem millia equitum, suo arbitrio electorum, dixit insuper, quod serenissimus Dominus rex Ladislaus pro toto residuo regni Hungariae parabat viginti millia. Despotus autem Rasciae, quamvis valde dam-

nificatus sit, obtulit se paraturum decem millia, licet in sua fide perduret, incumbit tamen nobis, periculis nostris salubrius consulere et de opportuno remedio providere. Processit magnificus Dominus Johannes ad ulteriora colloquia, dicens: quod si sanctissimus Dominus noster Papa mitteret sibi viginti millia eqitum et serenissimus Rex Aragonum decem millia et aliae civitates Italiae decem millia, cum Dux Burgundiae se offerat, venturum cum decem millibus equitum et decem millibus peditum et sic omnibus computatis essent centum millia, confidit ipse Joannes intra tres menses tantum conflictum contra Turcos inferre, quod in Europa locus non erit, ubi reclinare valeat caput, maxime cum ipse ad unguem cognoscat potentiam Turcorum, caeterorumque infidelium ac medullitus intelligat cum huiusmodi rationem bellandi. Proinde in praesentia omnium istorum dominorum et baronum haec asserüit hodie, quod cum tanto numero armatorum speraret etiam recuperare Hierosolymam, nec peteret stipendia nisi pro tribus mensibus. Expediret equidem, quod sanctitas tua aliquem cardinalem destinaret ad partes istas; tanquam praesidentem tali exercitui cum sufficienti pecuniarum summa, vel si tuae Sanct. rem hanc committere videatur, reverendissimo Domino Cardinali Strigoniensi, cum virtute providentia et consilio plurimum valeat, bene, ut reor, consultum esse; obtulit insuper se ipse Joannes, si omnino bellatores sint, non pueri, sed viri strenui et in armis experti, ad persequendum Christi hostes, idonei per annum et annos, si opus esset, cum tali exercitu perseverare, nec alia stipendia requirere confidens, quod de bonis et dominiis ipsius Turcae conquireret, quod talem exercitum etiam eiusdem Turcae stipen-

diis abundantius communiret. Tali igitur modo serenissimum regem Aragonum per mare decertando, et ipsum Joannem per terram, firma spes esse posset, et recuperandi dominium debitum principibus christianis, nec non et possidendi divitias infidelium cum ampla dilatione sanctae catholicae fidei orthodoxae, ad aeternam gloriam et immortalem sanctitatis tuae nominis laudem et memoriam sempiternam. Tua igitur Sanctitas beatissime pater, quid in his agendum sit, decernat; quam conservet Altissimus Ecclesiae suae sanctae et populo christiano per tempora longiora, cui me et ordinem nostrum supplex commendo. — Ex Jaurino oppido regni Hungariae, XXI. Junii MCDLV.

Apud Wadding. Tomo citato. Suppetias Papae, aliorumque Principum corrogarunt Status et Ordines Budae congregati XXI. Julii anno 1455. Ibidem l. c. Papa Dionysium Szechy A. Episcopum Strigonien. titulo S. Cyriaci in thermis Presbiterum Cardinalem, ut discordias componeret, est adhortatus: apud Raynald. Tomo XII. ad an. 1455. — Iis neutiquam sedatis, subsidiis promissis haud confluentibus, Johannem Carvajalium Hispanum, Cardinalem S. Angeli, legati apostolici auctoritate munitum in Hungariam misit, qui oleo et opera in conciliandis principibus perdito expeditionem cruciatam, per Fratrem Joannem de Capistrano, Ordinis S. Francisci, belli in subsidium contra Mahometem Turcorum Imper. indicit.

LXXIII.

Idem Comes in persona regis fungitur. An. 1455.

Nos Joannes de Hunyad, Comes perpetuus Bistricensis, memoriae commendamus — quod nos ob

spem et devotionem specialem, quam ad gloriosam Dei genitricem Mariam et S. Antonium habere dignoscimur, tumque ad humillimam supplicationem et instantiam FF. Praedicatorum, in claustro B. M. V. et S. Antonii Conf. in civitate Kolosvár fundato commorantium, reformationem et fabricam ipsius claustri ac monasterii, in persona serenissimi D. nostri regis, item ad usum FF. in ipso claustro degentium, in festivitatibus singulis B. Georgii Mart. singulis annis sales ad valorem 50 florenorum auri, perpetuis temporibus dare et administare deputavimus, et vigore praesentium deputamus. Quocirca vobis, nobilibus viris, camerariis regalibus, praesentibus scilicet et futuris, in camara Zeek constitutis, praesentium serie in persona Serenissimi Dom. regis, firmissime committimus, quatenus a modo in posterum praefato claustro in civitate Kolosvar, in nomine B. M. V. et S. Antonii Conf. fundato, consequenterque fratribus, in eodem commorantibus, in singulis festivitatibus B. Georgii Martyris annuatim sales, ad valorem 50 florenor. auri, in camera Zeek perpetuis temporibus reddere et persolvere debeatis. — Datum Kolosvar, in festo SS. Innocentum, anno Dom. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.

Apud Fridvalszky. R. V. M. p. 111.

LXXIV.

Joannis de Hunyad virtus magnanima. An. 1456.

Reverendo Patri, Domino Fratri Joanni de Capistrano, patri nostro optimo, Johannes Cardinalis S. Angeli, apostolicae sedis Legatus — — — notificamus, vestrae paternitati, quod serenissimus D.

rex Hungariae, ut hodie nobis dixit, intendit ista septimana cum adiutorio Dei versus Hungariam iter suum suscipere. Speramus per accessum suum ad illud regnum res fidei bene componi, quia ipse Serenissimus Dominus rex fervorem non parvum religionis habet, et isti domini, qui cum eo sunt. — Quantum sumus laetati, consolatique in his, quae dicta sunt nobis ex parte illustris Domini Gubernatoris, non possumus verbis, nec literis exprimere, quando audivimus sponsionem septem millium pugnatorum. — Itaque speramus in domino, quod exercitus ille VII millium, si omnia alia auxilia humana deficerent, sub dicto nostri temporis Machabaeo, Domino Gubernatore, vincet et dabit Deus populo suo victoriam. Cuperemus, ut idem illustris Dom. Gubernator scriberet illis principibus, cum quibus habet commercium in isto negocio; sicut est Imperator, Rex Arragonum, Dux Burgundiae et aliis, quod exercitus mittendi in Hungariam debent esse in mense Junii, et ad tardius in Julio; et quod ipse Gubernator erit paratus illo tempore, nec est petendum, quod habeant tot et tot millia, quia postquam plane intellexerint, quod illo tempore Dom. Gubernator debeat esse paratus, in cuius nomine magnam fiduciam ponunt, et dicitur, quod est ibi legatus apostolicus cum cruce. — — venient tanto numero, ut speremus in Deo, quod potius timebimus victualia deficere, quam homines. Itaque vestra paternitas in hoc versetur, ut scribat Dominus Gubernator se paratum futurum pro tempore praedicto, quia Deus providebit de victima et necessariis ad victimam — — — faciat paternitas vestra, quod non sit defectus in provincia vobis a Deo decreta— — — Ex Vienna XVI. Januarii,

Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.

Apud eundem Wadding. Tomo XII. ad annum 1456. Fuit Joannes a Capistrano antea in Valachia missionis officio occupatus. Litteris Joanni Gubernatori in Bistricia communicatis responsum taliter reddidit.

LXXV.

Eiusdem argumenti. Anno 1456.

Joanni Cardinali Sancti Angeli. — — Ea qua applicui die datae mihi sunt vestrae reverendissimae dominationis litterae, quae ad suscitandum animum Domini Johannis de Hunyad, Comitis Bistricensis, plurimum valebant. Possum hoc unum significare, vestrae reverendissimae Dominationi, ipsum nulla indigere persuasione vel adhortatione. Nam cum ipse mihi ore proprio pollicitus sit, septem millia equitum armatorum, omnibus necessariis ornamentis munitorum, et in dies magis confirmet, ac sanctissimo Domino nostro, invictissimo Romanorum Imperatori serenissimo regi Arragonum, illustrissimo Duci Burgundiae, aliisque Dominis scripserit, se cum decem millibus paratum fore, quandocunque opus sit, ad obviandum perfidissimo hosti Christi, non dubitet vestra reverendissima dominatio ipsum ullo pacto a proposito deficere, nam in armis continue accinctus est. Sed vereor, ne tanta procrastinatio periculum Christianis pariat, spondent enim caeteri ad futurum mensem Julium se expeditos fore. Turcae non dormiunt, nam fere quotidie invadunt partes inferiores, et depopulantur satis miserabiliter, adeoque fortificantur, ut nobis maxime sit timendum ante etiam

resurrectionem Domini. Quamobrem maturiori obstaculo peropus est, ad resistendum saevienti hosti, qui nullas nisi sanguine fuso habere vires gaudet, praesertim contra Christianos, quos perdere, obsequium se putat praestare Deo. Quare quid agendum sit, iudicet reverendissima dominatio vestra, quam Christus Jesus largissimo aevo tueri dignetur ad defensionem suae sanctae fidei. Ex loco nostro Bestren (Bistricz) XIX. Febr. MCDLVI.

Ibidem apud eundem. Capistranus omnes Hungariae partes percurrit ad cruce signatos congregandos. Legatus apostolicus cum cruciatorum phalange Joanni Hunyadio Buda ad Szegedinum occurrit, sed ab hoc reverti iussus, ut haberet cuius consilio in eventibus improvisis rex uteretur. Vide eius literas ad Capistranum loco citato. Hunyades copiarum partem maximam ad Petrovaradinum transmissam Belgrado tempestive infudit, supremo castri Capitaneo Michaele Szilagio, praesidiariorum numero Michaele Ország, et ab hoc Joanne Bastida praefectis. Joannes de Hunyad cum copiarum suarum reliquiis in sinistra Danubii ripa coniunctus Capistrani cruciatis substitit. — Mahometes Belgradum 150 millibus veteranorum suorum terra et in aquis circumvallavit — Joannes de Hunyad adventum cruciatorum urget.

LXXVI.

Eiusdem argumenti. Anno 1456.

Joanni Capistrano — — Joannes Cardinalis — Per proprium nuncium misi ad vestram paternitatem — — copiam epistolae Comitis de Hunyad, in qua monet adventus Turcarum. Rogo, ut me certiorem

reddat omnium, quae illic aguntur. Serenissimus Dominus Rex ivit venatum, neque amplius est reversus. Procura Pater optime, ut quam cito descendant cruce signati, id etiam nos facimus diligenter. Vale. Ex Buda V. Junii MCDLVI.

Ibid. Hac regis fuga magna cruce signatorum pars exterriti ac dissipati fuerant adeo, quod legatus novum eis criminum impunitatem vulgare necesse habuerit. Opportune Joannes de Korogh, Machoviensis Banus, ac cruciati e Comitatibus Zala, Baranya etc. accurrerunt. Expugnationis ac defensionis adiuncta descripsit testis occulatus Joannes de Taliacotio, individuus Capistrani Comes apud Waddingum Tomo XII. ad annum 1456.

LXXVII.

Joannes de Hunyad regem Ladislaum de victoria Belgradi relata edocet. An. 1456.

Serenissimo Principi et Domino, Domino Ladislao, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Regi, Austriae quoque et Stiriae Duci, nec non Marchioni Moraviae, Domino nostro gratiosissimo, eximiae vestrae Serenitatis fidelis procurator, Joannes de Hunyad, Comes Bistricensis. Serenissime Princeps! Domine noster gratiosissime! post servitiorum meorum humillimam recommendationem. Per prius etiam scripsisse recolimus, quomodo, et qualiter Imperator Turcarum, cum qualibus ingeniis hoc castrum Nandoralbense obsederit, ut nunquam talia ingenia oculi hominis viderint, nec animus hominum cogitare potuisset. In tantum enim ipsum castrum vestrae Serenitatis cum bombardis destruere fecit, usque ad terram, simul cum fossato,

quod ipsum castrum non possum dicere castrum, sed campum. Nos enim cum nostro proprio capite fuimus in ipso castro ab initio et etiam tempore expugnationis et nunc sumus. Tandem fracto et destructo ipso castro, ipse Imperator Turcorum post horam vespertinam feria quarta incipiens circa ipsum castrum pugnam manualem, vulgo Sturmam, incepit in tantum, ut per totam noctem et feria quinta usque ad horam prandii duraverit, ita ut duabus vicibus cum ipsis Turcis in ipso castro interius facie ad faciem pugnaverimus, sicut in uno campo propter fractionem et destructionem muri, quos semper vicimus Deo concedente. Tandem contra ipsos Turcos, Deo auxiliante, extra irruimus et insurreximus, quod ipsum Imperatorem Turcorum de sub castro praedicto et campo eiecerimus tamquam debellatum etiam, quod bombardas suas Deo concedente obtinuerimus, cum ipso quoque feria quinta ante sero pugnam habuimus. Tandem ipse Imperator Turcarum de nocte confuse et cum magna verecundia, abinde in fugam se convertit. Itaque nunquam alias Imperator Turcorum in tanta destructione fuit, sicut nunc est, et in tanta verecundia, quod in chronicis non legitur. Sciat etiam vestra Serenitas, quod maior pars peditum suorum est debellata; alii etiam capitales et principales homines sui manserunt sub hoc castro interfecti. In hominibus et familiaribus magnum damnum habemus per ipsos inimicos. Pro eo ita sciat vestra Serenitas, quod ad praesens ipse Imperator Turcorum tam maxime est destructus et confusus, ut si contra ipsum insurgerent Christiani, prout motum erat, extunc Deo concedente totum regnum Turciae obtinere possent, valde leviter: quia omnem suam potentiam ipse amisit sub hoc castro. Perprius

enim ante praedictam pugnam. cum galeis pugnam habuimus, in aqua; ex quibus galeis cum plures obtinuimus, quae enim ex ipsis remanserunt, dum contra ipsas praedicta feria quinta pugnaturi videbamur, mox sese in fugam converterunt, et de eisdem salientes, igne comburi fecerunt. Licet etiam vestra Serenitas omnibus scripserit, exercitualiter peties nos pro defensione regni vestrae Serenitatis venire, sciat tamen vestra Serenitas, quatenus penes nos solum fuerunt homines cruce signati, et Johannes de Korogh. Proinde petimus vestram Serenitatem diligenter, quatenus velit mittere unum servum fidelem et certum hominem Teutonem, qui videat destructionem et fractionem castri praedicti vestrae Serenitatis, deque ipso quoque castro vestra Serenitas nos informet, quid sumus de eo facturi, quia non possumus dicere esse castrum. Nos quoque promti et parati sumus illam fidelitatem vestrae Serenitatis observare, quam promisimus et nunc promittimus. Datum in Nandoralba, sabbatho proximo ante festum beati Jacobi Apostoli. Anno Domini MCDLVI."

Ex Codice MS. Mellicen. Nr. LXXVIII.

LXXVIII.

Joannes de Hunyad victoriam Belgradi relatam, Dionysio de Séch cardinali annunciat. An. 1456.

Novitates has vestrae Dominationi scribere possumus, quomodo Imperator Turcorum cum sua valida potentia et cum nonnullis ad expugnandum castrum Nandoralbense venerat. Cum quali enim potentia et ingeniis venerat, nunquam oculus hominis talia vidit, nec mente cogitare potuit. — In tantum

enim castrum per ictus bombardarum destruxit, quod ipsum castrum non est castrum, sed campum; quia usque ad terram murus est destructus. Tandem feria quarta proxime praeterita (XXI. Julii) post horam vesperarum circa ipsum castrum sturmoniam mirabilem fecerunt, in tantum, quod per totam noctem et die crastina usque ad prandium duravit, ita ut in medio castri duabus vicibus cum ipsis pugnam habuimus, tamquam in uno campo. Tandem extra campum ad ipsos irruimus, cum quibus usque ad sero pugnam habuimus, ipsumque Imperatorem Turcorum de supra dicto castro, Deo auxiliante, eiecimus, omnesque bombardas et ingenia sua obtinuimus, ipseque solus, cum quibus remansit, feria VI. proxima de nocte confusus et destructus, se in fugam convertit. Pro eo, si aliqui ad praesens contra ipsum imperatorem se moverent exercitualiter; extunc nunquam levius regnum suum obtinere possent, sicut ad praesens. Ex quo principales et capitales gentes suae, et signanter pedites ipsius imperatoris, qui alias gentes suas praevalebant, quasi omino sunt annihilati, nosque cum proprio capite nostro in ipso castro fuimus tempore expugnationis, et ab illo die, quo ipsum castrum obsessum fuit, in eodem fuimus. Multi enim etiam ex familiaribus nostris et hominibus vulnerati et aliqui mortui sunt. Sed tamen, Deo auxiliante, nunquam Imperator Turcorum cum tanta verecundia de campo se in fugam, sicut ipse convertit, tanquam debellatus. Prius enim in aqua conflictum habuimus, ex quibus nonnullas galeas eorum obtinuimus. Quae enim ex eisdem remanserant, dum praedicta feria V. contra ipsas galeas ire volebamus, illae se mox in fugam converterunt, ac eisdem homines salientes ipsas igne combusserunt. Pro eo nunc

ignoramus, quid simus facturi castro praedicto: quia non possumus dicere id castrum esse, sed campum, propter fractionem et nimiam ipsius destructionem. Datum in loco praefato feria VI. proxima ante festum Sancti Jacobi Apostoli. Anno Domini MCDLVI. Joannes de Hunyad, Comes Bistricensis."

Apud d'Achery Spicileg. Tom. III. p. 801.

LXXIX.

Joannis de Hunyad militia inchoata, obitus et encomium. An. 1456.

Beatissimo Patri et Domino etc. Calixto III. etc. Joannes Capistranus etc. Beatissime Pater! Ad pedum oscula beatorum obedientiam humillimam et devotam usque ad mortem etc. Etsi vero ita placuerit Altissimo, quod de medio sustulerit a nobis illum illustrissimae memoriae Pugilem invictum, sanctae fidei catholicae hostibus formidabilem defensorem, Dominum Joannem de Hunyad, ex hac vita iam delapsum XI. mensis huius ex peste; substituit tamen nobis non imparem sibi virum, Nicolaum de Vjlak, sub cuius dominatu valido et potenti, ipse idem Johannes illustris in magnificentia suam militiam inchoavit. Est namque idem ipse Nicolaus Princeps illustris, in magnificentia excellens, in consilio providus, in gerendis cautus, virilis animi, in fide fervens, in vestrae Serenitatis obedientia humilis, sui honoris aemulator, et magni zeli, potens in opere et sermone, qui inter alios Principes, Praelatos et Barones huius regni de principalioribus reputatur, et de eo gerunt magnam exspectationem et famam laudabilem sibi attribuunt universi, secundum quod officium in hoc regno haereditarie possidet in Banatu.

Nunc ergo Pater beatissime! sollicitandi sunt de novo reges et principes christiani. Dum fornax ebullit, coagulandum est aurum; dum debilis hostis est et fervor viget in populo christiano, excitanda sunt arma bellica contra perfidos infideles. Vestra igitur Sanctitas iam ad beneplacitum imperet, quid agendum? Quam dignetur Altissimus conservare Ecclesiae suae sanctae per tempora longiora. Ex Salankemen MCDLVI. die XVII. Augusti.

Stephanus Kaprinai productis his testimonialibus Hist. Dipl. P. I. pag. 366. addixit se de patre Johannis de Hunyad acturum; in MSS. eius reperi nihil, praeter id, quod in Codice Diplomatico commemoravi. Qua fide dixerit Johannes Capistranus Johannem de Hunyad militiam sub dominatu Nicolai de Ujlak inchoasse, non videmus; cum testimonio Bonfinii constet ipsum sub alae praefecto, ut videtur, Chanadio, sub Chakiis item rudimenta eiusdem coepisse; tum sub Philippo Mediolanensi, Despoto item Rasciae militasse; praeterquam si dicamus, ipsum sub Ujlakio, qua Bano Machoviensi militasse, ac primas de Turcis victorias regnante Sigismundo retulisse.

LXXX.

Ladislai, per administros praeventi, contra domum de Hunyad gravamina. An. 1457.

Ladislaus, Dei gratia Rex Hungariae, Bohem. Archidux Austriae etc. — — Ladislai de Hunyad Pater, Joannes, Vaivodas nostros Transalpinensem et Moldaviensem nobis et regno nostro fideles (?) alios occidi, alios expelli fecit, et eorum loco alios, quos sibi obligatos fieri putavit, superinduxit. — Civitates

ac proventus regios missis nunciis repetitos, reddere moratus. — Inductis Turcis regnum nostrum Rasciae fere totum, per eosdem depopulari, depraedari et comburi; illustrem Principem Georgium, Despotum Rasciae, Maiestati nostrae fidelissimum, per Michaelem Zylagha, quem Castellanum in castro nostro Nandoralbensi deputaverat, amputatis digitis dextrae manus, capivari fecit, et tamdiu tenuit, quousque magnam ab eo pecuniae summam per eumdem Michaelem extorqueret. — (Transit ad Ladislaum Corvinum insimulandum.) — Dum nos ad vota et instantiam Praelatorum, Baronum etc. de ducatu nostro Austriae movissemus, civitatemque nostram Budensem applicuissemus, indixeramus de consilio ipsorum Praelatorum et congregationem in Futhak, in facto Turcarum celebrandam, vocavimusque inter alios praefatum Ladislaum adolescentiorem praefati Joannis Gubernatoris, — ut veniret, proponentes ipsum lateri nostro habere continuum, sed — ipse suum nobis denegebat accessum, nisi prius eum ac praefatum Mathiam germanum suum de suis, ac eumdem condam Joannem de Hunyad, genitorem suum, qui regni nostri Hungariae Gubernator, collectorque generalis proventuum nostrorum regalium per plures annos extiterat, de huiusmodi proventibus — non data ratione redderemus expeditos. Et quamquam in eo voluntati suae satisfacere, graviter tulerimus etc. — Dum cum praefato avunculo (Cileensi) nostro, caeterisque aliis Baronibus Hungariae et Bohemiae, paucaque familia nobis immediate a tergo haerente, castrum nostrum Nandoralbense ingrederemur, portae castri ad nutum suum impetuose post nos clausae fuere etc. — Postremo nos — ad castrum Temesvar deductos, a nobis promissiones iuratas, etiam et lit-

terales obligationes super eo, quod de caetero sibi et Mathiae fratri suo huiusmodi eorum maleficia non imputaremus, ipse et idem Mathias frater suus exegerunt. Et quamquam inviti illas fecerimus, nihilominus tamen, nisi ad ultimum cupiditate regni ductis, praefatis filiis dicti Johannis Gubernatoris, in necem et periculum vitae Maiestatis nostrae et consiliariorum nostrorum conspiratos fuisse, palam deprehendissemus in tantum, ut nisi providere potuissemus, infra triduum aliter scelus in sanguine nostro — complevisent. — — Ipsos vitae nostrae insidiatores, ut puta, praefatos Ladislaum et Mathiam — captivari fecimus, et tandem servata iuris forma, et post latam sententiam ipsum Ladislaum iuxta sua demerita et suos excessus, in publico capite plecti, iussimus, cunctis aliis, similia machinantibus in terrorem, praefato Mathiae et aliis complicibus eorum ex benignitate regia, in vita conservatis. — — Ne igitur erga praefatos Ladislaum Palatinum, Nicolaum (de Vjlak) Waivodam, Paulum de Lindva Janitorum, Ladislaum de Beczla Pincernarum, Henning Czerin, Agazonum nostrorum Magistros, Conradum Holzler, Magistrum hubarum, Wolfgangum Pukendar, Jodocum Capitaneum de Vegles, de tanta fidelitate ingrati videamur, promisimus eis verbo nostro regio et sub fide nostra christiana promittimus per praesentes nostro et successorum nostrorum regum nominibus, ut si eos — sive haeredes ipsorum, quispiam praemissorum ratione, qualitercunque et quomodocunque inquietare, publicas inimicitias contra eos gerere, sive eis adversari, guerram movere aut eos quovis modo gravare et impedire, seu quomodo cunque damnum inferre vellet, nos eis et cuilibet eorum praesidio fore, eos manutenere, protegereque

et defensare, damna quoque — eis generose recompensare volumus et tenemur realiter et cum effectu. Ad quae omnia — nos et — successores nostros reges sub praescripta fide nostra obligamus et obligatos haberi volumus, praesentis scripti nostri patrocinio mediante. — — Datum XII. kal. Aprilis Anno MCCCCLVII.

Litteras has in fragmentis dare necesse fuit post Prayum Historiae Hung. P. II., qui earum nec datum loci, nec archivum, quo conditur, sivit nos nosse; in archivo, ut videtur camerali hungarico latitant. Destinatae fuerant ad motus, capitis damnato Ladislao, capto Mathia et caeteris, sopiendos; ast facem belli incenderunt magis quam sopiverunt. —

LXXXI.

Donationis per Albertum R. H. Joanni Hunyad factae, ac hae reditariae possessionis vestigium. An. 1457.

Sapientes viri, amici nobis grati! — Noveritis, huius regni notabilem Nobilem, Georgium de Belay, cuius notitiam vestrae amicitiae patere credimus, hodie a magnificis Dominis, Nicolao Vaivoda et Ladislao de Palocz, ad nos in legationibus advenisse, et nobis ab eisdem has novitates attulisse: quod inter Dominum nostrum regem et Michaelem de Zilagy, ac Gubnrnatricem, omni inter partes rancore deposito, firma pax ordinata sit, et subsecuta tali modo: quia ipsa Domina Gubernatrix universa castra regia in Transilvania primum, puta: Besztrecze, Dewa, Gergen, Kralkw, Haczeg, Mihold; sed et in parte Danubii existentia, scilicet: Nandoralba, Zentlaszló, Peeth, Tranko, Seryn, Orswa et Gewren; — item

Trenchen, Bestrecze, Sucha, Oroslankw, Lewa, Solno, Strechen, Domino nostro regi plenarie remittere habet; salvis castris et possessionibus suis haereditariis, et aliis certis per condam Dominum nostrum Albertum sibi datis, videlicet: Hunyad, Dyod, Solymos et emticiis, solummodo a Baronibus et huiusmodi regni Proceribus, perpetuo comparatis, quae et quos Dominus noster rex praefatae Gubernatrici et filio suo Mathiae nunc capto suae donationis titulo dimittet, perpetuo possidenda et tenenda, et iam Dominus Nicolaus Vaivoda Transilvanus, per se personaliter profecturus est Viennam, praedictum Mathiam captum ad Strigonium reducturus, qui Mathias captus interim pro obside in manibus Dominorum, Dionysii Archiepiscopi Strigoniensis et eiusdem Nicolai Waivodae Transilvani debet permanere, quousque praedicta castra regia Domino nostro regi restituentur; quibus restitutis mox praefatus Mathias, filius quondam Johannis de Hunyad Gubernatoris, captus et alii universi captivi, suis ex vinculis emittentur. Omnes etiam nota infidelitatis irretiti reddentur gratiae regiae, atque libertati pristinae. Rogamus igitur amicitias vestras perobnixe, quatenus, quantum in vobis est: quatenus insolencias et guerras, per latrunculos novissime exortas sopire velitis, ut hoc inclitum regnum, iam ex maiori sua parte desolatum, saltem in sua residua parte minori sentiat ab ulterioribus desolationibus, et praedationibus se se fore libertatum. — Item castra Berench et Owar praefata Domina Gubernatrix iuxta testamentariam legationem quondam magnifici Johannis de Hunyad Gubernatoris, Pancratio de Berench reddere habet et restituere. Ladislaus omnibus civitatibus etc. — Anno MCDLVII.

Ex tabulario civitatis Bartfensis Kaprinai l. c. 207—8. — Ladislaus subscriptus fuerat de Palócz, Judex Curiae regiae, Nicolaus Waivoda, alias de Wylak, Johannis de Hunyad aemulus, Pancratius de Zenth-Miklós, alias de Berench et Owár, primum Capitaneus Zakolcensis, postea Comes Liptoviensis, foederatus Joannis de Hunyad.

LXXXII.

Joannis de Hunyad memoria. An. 1457.

Aeneas Cardinalis Senensis Alphonso Aragonum, Siciliae Regi S. P. D.

Si Maiestati tuae rarius scribo, nihil obsecro, vel negligentiae, vel adversae voluntati adscribatur. Cupio siquidem frequentes literas meas in manus tuas dari, nam sic potentissime memoriam mei tua mansuetudo tenacius apud se haberet. Verum materia, quam ego scribere vellem, non occurrit, quae occurrit, hanc scribere nolo: neque enim tutum est omnia mandare litteris, et hoc praesertim tempore, quo nec, qui via recta incedunt, carent suspicione. Caeterum, quae hic in Curia geruntur, sunt quam plures, qui tuae Sublimitati, ea conscribunt, et nonnulli quidem multo plura et secretiora, quam ego, norunt. De Germania tantum est, sic arbitror, quod aemulante nullo significare possum. Curabo igitur, quotiens illis ex regionibus ad me aliqua referentur, nota digna, ne per me tuam Maiestatem lateant. — Nunc vero, quae habeam, paucis explicabo. Vlricum, Ciliae Comitem, apud Albam Graecam, — occisum, iam pridem accepisti. — — Occisorem Comitis, non est ambiguum, Ladislaum fuisse, filium Joannis Hunyadis, eius, qui saepe Turcos debella-

vit. Et hoc anno superbiam Mahometis apud eundem locum confregit. Certum est non minus filium profuisse reipublicae christianae in occisione Comitis, quam patrem in profligatione Mahometis: cum Mahometes et Comes hostes religionis essent; ille externus, hic domesticus. Memorabilis hic annus est, quo Turci debellati sunt, et magnus Comes, magni regis Gubernator, obtruncatus est etc. Ex Roma VI. kal. Aprilis. Anno MCDLVII.

Aeneae Epist. Anno 1481. Norimbergae edit. Nr. 266.

LXXXIX.

Elisabetha de Szilágy, Joannis de Hunyad vidua. An. 1457.

Nos Domina Elisabeth, relicta quondam magnifici Domini Joannis de Hunyad, Comitis Bistricensis etc., ac Michael Zilagyi de Horogzog, Banus Machoviensis et Capitaneus Nandoralbensis, memoriae commendamus: quod quamvis alias inter praefatum Dominum nostrum, Dominum Johannem de Hunyad etc. ac magnificum Pankratium de Sancto Nicolao, Comitem Liptoviensem, diversae controversiae et variae dissensiones motae fuerint et exortae; tamen ut omnium inimicitiarum scandala e medio nostri eiici possint, et eradicari cum antefato Pancratio de S. Nicolao ac Ladislao filio, et altero Pancratio, similiterque filio, Stephano, Joanne et Jacobo, fratribus eiusdem Pancratii, ad talem cum eis dispositionem et concordiae devenimus unionem; quod nos antefatis Dom. Pancratio, filiisque et fratribus eius, ipsorumque posteritatibus et ad eosdem pertinentibus, universis diebus vitae nostrae quousque in mundo vixerimus, singillatim et seorsim contra quoslibei cuiusvis status et conditionis homines, tam magnates,

quam minores, sine omni fraude, dolo, calumnia, astutiaque, novis adinventionibus quibusvis, cum omni vera et recta fraterna charitate et amicitia adesse et prodesse volumus, sub fide christiana infrascripta, honoreque et humanitate nostris mediantibus. Nos antedicti Domina Elisabeth ac Michael Zilagy etc., ad Deum nostrum vivum et ad sanctam Trinitatem ad sacratissimumque Corpus Domini nostri Jesu Christi, manu nostra tactum, nec non intemeratam Beatissimam Virginem Mariam, eiusque virginitatem et ad sanctum Petrum et Paulum Apostolos, et ad omnes Sanctos et Sanctas Dei iuramus, ut ita nos antedicti Domini Principatus et Potentates adiuvent, Sanctisstmumque Corpus Dominicum in ultimo mortis articulo nostrae, nobis taliter dignetur, turpissimaque morte et subitanea ita, non moriamur, altissimi Dei vultum post mortem nostram sic intueri valeamus, et ad infernum ita non sepeliamur, semenque generationis nostrae ita non deficiat, ut praemissa, fraternitates vestras ac rectas amicitias perpetuo duraturas, inviolabiliter, rate, firme, in omnibus suis clausulis, punctis, articulis observabimus et observaturi sumus, adstricti et obligati. Vbi autem nos quoquomodo praemissa in aliqua parte, vel in toto violare vellemus et frangere, quod Deus avertat. Nunc solum vigore praesentium te Deum omnipotentem, simul cum genitrice, omnibusque Sanctis tuis invocamus, flagitamusque et deprecamus, ut praetextu non observationis praemissorum obligaminum ad nostrum detrimentum et periculum aeternum, tam in hoc saeculo, quam post mortem in nos te vindicare debeas. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediantibus, quibus sigilla nostra sunt appensa. Datum in Temesvár, in festo Beatae

Margarethae Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo LVII.

E collectione Caroli Wagner. Kaprinai l. c. p. 120. Meminit huius instrumenti etiam Révai in Mon. et S. Coronae regni Hungariae cent. p. 670.

LXXXIV.

Joannis de Hunyad meritis, filius eius Mathias, Rex Hungariae, votis unanimibus electus. An. 1458.

Calixtus Papa Johanni Cardinali sancti Angeli, apostolicae sedis Legato, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecte Fili! Immortalis Deus, miseratus populum suum non est passus regnum illud, in quo tot certatim turbulentiis obortis sol prope modum lucere desiisse videbatur, in tantis iacere et caligare tenebris, sed sua clementia et inerrabili pietate afflictis rebus eum praestituit regem, quo neque commodior quisquam propulsandis periculis fidei orthodoxae, neque in quem omnium Hungarorum studia magis accensa esse potuissent; illi quidem (ut caetera omittamus, quae ampla sunt, quae ad capessendum fidei defensionem eum non solum animare, sed acriter excitare debent) propositus est stimulus paternae gloriae et veneratio genti Hungarorum ingesta, ex tot rebus, quas ductu illius clarissimi ducis felicissime pro fidei tutela gesserunt. Itaque credibile est, animam ipsius invicti athletae, quam in aeternam sedem pro suis meritis haud dubie receptam esse confidimus, exorasse immortalem Deum, ut patriam et regnum illud, pro quibus ipse tot annos indefesse pugnasset, et a quibus tot insignibus cladibus Turcorum avertisset furorem, non pateretur domesticis dissensionibus lacerari, sed suis exi-

miis factis eum daret successorem, qui ab ipso non degeneraret, tutelamque Christiani nominis ea constantia susciperet, quam ipse cum summa gloria antea ab ineunte aetate suscepisset, et susceptam nunquam, nisi cum vita simul amisisset. — Solebamus dicere dolenter de infortuniis ab invidis et aemulis, ne dicam ad delendum, maculandum et offuscandum inclitam domum illius dicti militis Christi, eius filium ultimo supplicio damnando, alium capiendo, matrem et progeniem gravibus persecutionibus — prostratis, et evulsis vepribus exaltaret et in quiete poneret, cum Deus misericors pro suis sit, faciens mirabilia solus et hoc publice et privatim, a diu praediximus, ut hic et alibi notum est. Quid enim mirabilius, quam eius filium ab Hungaris in regem unanimiter esse electum? etc. Datum XIV. Martii MCDLVIII. Pontificatus nostri anno tertio.

In Annal. Eccles. Oderici Raynaldi Tomo XVIII. pag. 509, Edit. Colon.

LXXXV.

Eodem in merito. Anno 1458.

Calixtus etc. Elisabeth viduae, Mathiae matri. — Certissimam spem semper habuimus, praedicavimusque palam, quod Deus omnipotens in suis iudex et miserator, non pateretur domum praefati Johannis in tantis tenebris iacere, sed eam erigeret, et propter merita illius, quae orbi nota sunt, ad lucem, claritatemque reduceret. Rata fuit praedicatio nostra et vidimus repentinam mutationem divino mysterio factam, cum uno, eodemque tempore filium tuum, illustrem Mathiam in regem, Michaelem fratrem in Gubernatorem regni ipsius electos fuisse,

vidimus. Ex quo nemini dubium esse potest, immortalem Deum suam in hoc admirabilem potentiam ostendisse in oculis cunctis; nemo tamen divinae voluntati resistere valet. — Nec dubitet aliquis, quin anima praefati Genitoris sui cum aliis concomitantiis a piissimo Deo, omnium Bonorum remuneratore, hoc de filio suo obtinuerit, et sit exaudita, et ita addendo prius per nos dictis haec vera et multa alia hic et ubique ad animandum cunctos dicimus et praedicamus etc. Datum XIV. Martii Anno MCDLVIII. Pontificatus nostri anno tertio.

Ibidem pag. 510.

LXXXVI.

Joannis de Hunyad laus et gloria, testimonio Calisti Papae aeviterna. An. 1458.

Calixtus etc. Mathiae regi Hungariae illustri. Charissime in Christo fili! salutem et apostolicam benedictionem. Cum gravissimae curae, quibus iam a principio assumtionis nostrae affecti fuimus, acrius in dies urerent sensus nostros propter pericula, quae populo christiano instare ex nefariis conatibus pessimi Turcorum Tyranni videbamus, eoque vehementior esset anxietas nostra, quod re in extremum discrimen adducta, summam Christi fidelium potentatuum negligentiam cernebamus; illuxit tandem felicissimus dies, quo te divina pietate regem Hungariae electum esse percepimus, domumque tuam exaltatam, quod futurum et praediximus, et credebamus. Deumque, pro quo, totaque Christianitate bonae memoriae Genitor tuus, tam gloriose, strenueque decertavit, minime passurum, ut domus tua calamitatibus offuscaretur. Nuncio igitur,

huius tuae electionis, tanto gaudio elatum est cor nostrum, tantaque laetitia repleti sumus, ut vixdum constituere mente potuerimus, unde serenitati tuae potissimum scriberemus, aut quibus verbis digne laetitiam significaremus, quae quidem tanta est, ut nullius lingua merito exprimi possit. In quo animi nostri gaudia tanto aliorum laetitiam antecellunt, quanto acriores erant stimuli sollicitudinum, quibus propemodum soli prae omnibus pungebamur, et quanto hoc ipsum divina fiducia repleti exspectamus, praenunciationem quamdam pectoris nostri impletam iri et fore, ut omnipotens brachium extenderet super plebem suam. Etenim de tua Serenitate, ut debemus, cogitantes, tuamque felicem promotionem, iucunda consideratione animo revolventes, credimus haud dubie, — te coelesti munere, quasi divinum aliquem hominem, non solum isti regno, sed orbi christiano missum esse, qui regni ipsius florida aetate gubernacula exorsus, sublatis intestinis seditionibus, animum adhibeas ad gloriosum certamen Mahometicae sectae exterminandae. — Equidem cum patris tui, invictissimi militis, et athlethae Christi, nobis in mentem cogitatio venit, cuius aeterna sunt in universam Christianitatem felicium gestorum monumenta, aeterna laus et praeconium; existimamus post illius lagendam mortem, te alterum regni firmum columen et praesidium esse futurum, et eo firmius, quo ante oculos, patris ipsius tui gloria proposita est, quam non dubitamus serenitatem tuam esse non adaequaturam solum, sed omni conatu superaturam: quod eo facilius erit, quo maior est tua, quam illius fuerit felicitas et tu rex, ille minister regni fuit etc. Datum Anno MCDLVIII.

Ibidem l. c.

LXXXVIII.

Joannis de Hunyad cum Michaele Szilágyi cognatio et affinitas. An. 1458.

Nos Michael Zilagi de Horogzeg nomine et in persona serenissimi Principis et Domini Mathiae, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiaeque etc. electi regis, Gubernator in eisdem regnis constitutus, memoriae commendamus praesentibus et futuris, quibuscunque qualiter eo tempore, quo opera magnifici et potentis viri olim Johannis Vaivodae Transilvani, cognati nostri, et Domini, nec non auctoritate serenissimi tunc regis Wladislai, regnum Rasciae ab Amurate, Turcarum Sultano, restitutum fuit illustrissimo Principi Georgio Despoto nuncupato, eiusdem regis ac praedicti Vaivodae, Praelatorumque, Baronum ac Nobilium regni voluntate, ita instante olim magnifico Georgio Marnavich, Comite de Zuonik, Sarosta regni Rasciae et Domino in Voinicza, pro interesse suo, ac filii matris sui Joannis, appellati Tomko, tamquam filio et nepote olim Comitis Goyko, nepotis olim Comitis et Vaivodae Rasiae, Goyko regis Vukassini et Despoti Vgtessy, fratris felicissimae memoriae affinium nostrorum et eiusdem Joannis Vaivodae, cognati nostri et Domini declaratum fuit, urbem Nissam antiquam patrimonium regiae familiae Marnavich, cum omnibus oppidis, arcibus, castris, pagis ac eorum iuribus omnibus et pertinentiis, quomodocunque ab antiquo tempore absoluto iure et dominio ad illam spectantibus, realiter consignari debere, in perpetuum praefatis Comitibus Georgio et Tomko, eius ex fratre nepoti; ita ut nullo unquam tempore dictus illustrissimus Princeps Georgius Despotus, suique haeredes et suc-

cessores possint habere aut praetendere ius ullum in dictam urbem et eiusdem pertinentias, sed dictorum Comitum et eorum posterorum intelligatur et esse debeat in perpetuum. Cumque nunc nobis in civitate Pest cum Dominis, Praelatis, Baronibus ac Nobilibus regni Hungariae, pro disponendis dicti regni rebus congregatis, idem Comes Tomko suo nomine et tanquam haeres praefati Georgii patrui sui, testimonium publicum a nobis, caeterisque Dominis nobiscum congregatis, de dicta voluntate regis Vladislai et Johannis Vaivodae requisiverit et requirat, nos qui praefatis omnibus rebus, cum plurimis praesentibus Praelatis et Baronibus interfuimus, tenore praesentium fatemur et attestamur, omnibus et quibuscunque perpetuis futuris temporibus dictam regis etc. voluntatem de urbe Nissa ad favorem Dominorum Comitum Marnavich a rege et Vaivoda praefatis declaratam et pronunciatam fuisse, et executioni mandatam assentiente ipso illustrissimo Principe Georgio Despoto. In quorum fidem praesentem testimonialem paginam dedimus, et sigillo nostro communivimus. Datum in Pesth vigesima die congregationis nostrae. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo.

Apud Kerchelich Not. Prael. p. 373—4,

LXXXVIII.

Joannis de Hunyad affinis Margaretha Báthori, Michaelis Szilágyi conjux. An. 1461.

Nos Mathias, Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: quod quia spectabilis ac magnifica Domina

Margaretha, relicta condam Domina Michaelis Zilagyi de Horogzegh, perpetui Comitis Bistriciensis, fratris nostri charissimi, felicis memoriae, omnia castra, castella, civitates, oppida, villas et quae et quas dictus condam Comes Michael, frater noster et Dominus atque maritus suus, tenebat et possidebat, praeter castra Dyod et Világosvár, ac oppida Thur et Varsán vocata, Maiestati nostrae reddere et resigare promisit, et se superinde litteris suis mediantibus, fide et iuramento suo firmatis, nobis obligavit; igitur nos tum ex eo respectu, tum vero ex eo, ut ipsa orbata suo viro honestam et dignitati suae congruentem et competentem vitam ducere possit, castrum nostrum Dyod, simul cum omnibus eius pertinentiis, quibus condam Comes Michael, frater noster, tenuit et proventibus nostris quinquagesimalibus de huiusmodi pertinentiis eiusdem castri nostri, provenire debentibus, eidem Dominae Margarethae vita sibi comite dedimus et commisimus, imo damus et committimus, et nihilominus pro omnibus impignorantibus, debitisque ac dote et rebus paraphernalibus, et pro omnibus aliis iuribus eiusdem Dominae Margarethae, quae eadem ex bonis et castris praefatis, mortuo dicto condam Comite Michaele, Domino et marito suo, a nobis quomodocunque habere potuisset, vel habituram se praetendere posset; castrum nostrum Világosvár praefatum, simul cum omnibus pertinentiis illis, quibus condam Despotus Rasciae tenuisset, ac oppida nostra iam dicta Thur et Varsán pro septem millibus florenorum auri annotatae Dominae Magarethae inscripsimus et impignovimus, imo inscribimus et impignoramus tali modo etc. Datum Budae feria tertia proxima ante festum Beati Georgii Martyris Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo.

Fuerat haec Margaretha testimonio Capituli Ecclesiae Budensis anno 1464. Dominica proxima post festum BB. Tiburtii et Valeriani MM. Patre Stephano Báthori, Curiae reg. Judicis prognata. Kaprinai Hist. Dipl. P. II. p. 481 sqq.

LXXXIX.

Honestas natalium Johannis de Hunyad, ac virtus palam agnita. An. 1463.

Egregie Miles! Ea, quae tam viva voce proposuistis, quam etiam in scriptis obtulistis, Serenissimus Dominus noster Rex una cum suis Consiliariis, Praelatis et Baronibus clare intellexit, et breviter in hunc modum respondet: Primum in eo, quod narrastis, aliqua multum bona nova regiae Maiestati et vias ac modos ad ea consequenda tetigistis, illa omnia sua Serenitas libenter audivit, ac quod inter caetera dixistis: Vos habita consideratione diligente, ad quantam nunc respectu antiquorum temporum paucitatem simul ac imbecillitatem redacta sit christianitas, multis iam ab annis in hoc laborasse, ac diversa propter hoc perambulavisse loca, ut tandem universalis inter omnes Christianos concordia componeretur ad hunc videlicet finem, quo tandem melius ac potentius contra Paganos fidei defensio posset procurari. In eo regia Maiestas laudat operam ac studium vestrum et multo magis laudaret, quando videret istos tam notabiles tractatus votivum perductos ad effectum. Commemorastis latissime, tamquam pro negocio principali, qualiter Serenissimus Dom. Rex Bohemiae in sua et quadammodo etiam Domini nostri regis, velut fratris et filii sui in personis Vos pro attentando huiusmodi negotio ad christianissimum regem Francorum transmisisset. Et quod

praefatus christianissimus Francorum Rex, si modo vos de pleno mandato docuisset, statim ad omnia paratus extitisset, et ligam generalem cum Principibus christianis, sine dilatione iniisset. Cuius quidem ligae etiam capitalia quaedam puncta praesentastis, in quibus inter alia continetur de oratoribus regum et principum cum amplissima facultate ad certum locum et tempus destinandis, qui rerum omnimodam potestatem habeant, et de occurrentibus quibuslibet pro communi utilitate disponant. Ad haec regia Serenitas ita respondet, quod nihil optabilius, nihil melius, nihil salutarius contingere posset populis christianis et fidei catholicae, quam si gentes christianae tantis inter se terrarum spatiis distantes, linguis insuper et habitibus, nec non moribus ac institutis et studiis ac voluntatibus tantopere differentes, imo etiam vetustissimis et maximis odiis dissidentes, et maiori ex parte de facto quotidianis invicem bellis implicitae, nihilominus tamen his omnibus non obstantibus, quasi in unum corpus redigi, et ad celerem ac firmam concordiam deduci, et per consequens ad eadem studia et easdem voluntates et actus conformari ac conglutinari, pro sufficienti tempore valerent. Haec enim esset excellentissima et singularis via, per quam in commune bonum omnia dirigerentur; Ecclesia Christi et Romanum Imperium ad dignissimam amplitudinem excresceret. Paganismus omnis destrueretur et orthodoxa fides plus quam unquam dilataretur. Caeterum ista huiusmodi universalis concordiae et generalis ligae mentio hic apud Maiestatem regiam fuit hactenus inaudita, et merito expectasset sua a Serenitate et Domino Rege Bohemiae prius condignam superinde avisationem, quam talia suo nomine fuissent mota et incepta. Licet enim ille

fuerit Pater, hic filius, habet tamen et filius suum regnum, discretos fines, peculiare consilium, in curia sua et proprios quosdam respectus. Et quia consiliarios habet ad omnia sufficientes, non indiget promotione alterius. Cum christianissimo autem Francorum rege S. D. N. Rex iam dudum optavit omnem amicitiam et benevolentiam contrahere et observare, quam et nunc tempestive oblatam libentissime acceptat, gratiasque agit tantae humanitati christianissimi regis Francorum, quem bene novit sua Serenitas inter omnes christianos reges tam nobilitate sanguinis, quam amplitudine dignitatis obtinere principatum; maximeque ad ipsum pertinere cognoscit tam altos et tam notabiles rerum tractatus. Meminit etiam sua Maiestas praedecessoribus suis Hungaris regibus per multa retro saecula cum domo Franciae semper aliquam vel coniunctissimam amicitiam vel necessitudinem, seu affinitatem fuisse; Regesque et Reginas de illa domo in hoc regno saepius extitisse. Quae omnia regiam Serenitatem inducunt, ut cum clarissimo et christianissimo Francorum rege strictissimam societatem et confoederationem consideret, velitque iam exnunc de facto initam firmissime observare et quidquid tanti regis sapientia et authoritas pro bono communi disposuerit, acceptare et tenere. Sed quia, ut praedictum est, apud regiam Maiestatem usque ad hoc tempus haec fuerunt inaudita, ita quod nec consulere potuit superinde, quos merito debuisset; imo nec cum suis consiliariis sufficienter adhuc deliberare; et licet dignissimum videtur Serenit. suae eos, cum quibus aliquam intelligentiam habet, ut Venetos et praesertim principalissima totius christianitatis capita, sedem videlicet apostolicam et imperatoriam celsitudinem, priusquam ad specialiores conclusio-

nes descensus fiat, super his aliquantulum reddere certiores. Ita enim commune debitum et publica honestas exigit. Ista tamen, quae ab aliis merito requiruntur, regia Maiestas iam de facto observat, nec quempiam christianum iniurie lacessit, aut lacessere intendit; sed cum omnibus fidelibus vicinis pacem firmavit et tenet, solosque paganos pro hostibus habet. Ad hos submovendos et conterendos omnis cura et omnes tendunt apparatus, omnisque expensa proventuum non solum trium dierum, sed etiam totius anni. Sit modo aliis christianis principibus idem studium, eadem intentio cum effectu per regiam Maiestatem nunquam stabit, quo minus Turci confringantur, et christiana religio protegatur et amplificetur. Nec credant caeteri christiani Hungaros tantummodo de patria et suis duntaxat finibus decertare; possent, si vellent, et dudum potuissent tales tenere modos et ea foedera inire, quod illaesis et quietis permanentibus Hungaris alii periculo Turcorum arma sensissent. Hoc igitur, quod petitur a regia Maiestate faciendum, quotidie sponte fecit et factura est in futurum, et quia continuis fatigamur infidelium bellis, inconveniens erat dicere: quod vel non indiget auxiliis vel oblata refutet; imo potius longo in tempore negata efflagitat et si porrigantur, libentissime amplectitur. Rogentur ergo solemniter alii reges et principes christiani, ut pacem invicem teneant, ut fidei succurrant; a nobis talia postulata, de communi videlicet pace servanda, et fide tuenda, iam de facto impetrata, ubique intelligantur. Quamvis etiam absque ista tam manifesta professione, haec omnia de nobis praesumi possent et deberent, cum scriptum est: Ex operibus eorum cognoscetis eos. Non oportet ergo Dominum nostrum Regem moneri,

cum sit in procinctu; aliquod facere intendunt? — faciant similiter, videlicet de facto et sine dilatione, cum iam certum sit, quod et sanctissimus D. noster personaliter et Duces Burgundiae et Venetorum sint parati ad movendum se; ita quod nullus dicere potest, quod non habeat, quos sequatur. Omissis ergo tractatibus eatur ad effectum. Caeterum quoad ea, quae secretius retulistis, regia Serenitas ita respondet: primum erat de remisione iniuriarum, quam petitionem similiter supervacaneam esse, censet regia Maiestas, quippe qui adhuc tempore electionis suae omnibus inimicis indulserit et multis etiam postmodum denuo culpabilibus veniam praestiterit, ita quod a nullo fere dici potest, quod de aliquo inimicorum suorum, vel in personis, vel in rebus qualemcunque sumpserit vindictam. Nec usquam in mundo Hungarorum aliquis exul aut relegatus a patria procul vagatur. Hoc idem et proxima sua coronatione factura est regia Maiestas, laudabili in eo praedecessorum suorum consuetudine observata: quamvis et alioquin regni huius instituta et legales ritus ita tenent, quod contra quoslibet etiam regiae Maiestatis culpabiles non statim et ex abrupto animadvertatur, sed secundum iuris vias et legitimas proceditur sanctiones. Ergo etiam quoad hanc partem christianissimi regis Francorum consilia et postulata dignissima prius per regiam Maiestatem adimpleta sunt, quam per vos proposita exstitissent, possuntque intelligi obtenta absque omni ulteriori instantia requirentis. Secundum erat, quod christianissimus Francorum rex ex multis, potissimum Alemannis, de serenissimo Dom. rege obloquentibus, dicentibusque non ad regiam Maiestatem, sed ad alios quoddam regnum hoc pertinere, notabilesque infamias contra

Suum et Genitoris sui nomen, aliosque suos iniqua diffundentibus aures nullo modo adhibuerit; praesertim eo, quod talia non ad pacem publicam, cui studet, sed ad maiorem Christianorum perturbationem spectare iudicarit. Fecit in hoc christianissimus rex, ut in aliis optime et proposito suo convenientissime, meritoque debuit tantus Princeps huiusmodi malignae invidiae figmenta non modo non credere, sed nec audire. Novit insuper reg. Maiestas, libertates regni et iura clarissima, potestatemque plenissimam deligendi pro arbitrio Principis virili regum semine per defectum penitus intercepto; scitque etiam illustrem Genitorem suum potissimum ita vixisse, seque taliter gessisse, ut de eo nihil vere dici possit a quoquam, nisi quod ad summam probitatis laudem pertinet, et ad magnanimae virtutis gloriam sempiternam. Ea vero, quae forte de ipso malignitas ausa est comminisci, et alioquin minime verisimilia, etiam ratione temporum impossibilia esse facile coniiciuntur. Tertium erat de concilio, praecipue per electores imperii satis instanter postulato, et tamen per christianissimum Regem reiecto: prudentissime quidem hoc quoque et utilissime. Concilii enim congregatio singulariter ad Romanum spectet pontificem; si quidem eius est Ecclesiam Dei reformare, qui vice eiusdem in terris regit illam. Nec satis apparet, quid hoc tempore boni concilium posset afferre. Ex conciliis enim saepius schismata et discordiae, ac utilissimarum rerum perturbationes et impedimenta, seu retardationes oriuntur. Quae omnia maxime nunc essent periculosissima et communi paci, fideique defensioni evidentissime contraria. Quartum ex persona vestra addidistis: videlicet de novo matrimonio regiae Maiestatis procurando:

ad quam partem pro nunc nihil regia Serenitas aliud respondet, nisi quod ex debito honestatis et etiam bonae consuetudinis satisfacere vult modestiae, et quoniam ita divinitati visum est, ut novae viduitatis casum incurreret, tenere, incurrere intendit aliquatenus moderationem omnimodam; postea cum tempus suaserit atque honestas, deliberabit superinde, prout videbitur opportunum. Anno MCDLXIII.

Ita Consiliarius Mathiae regis cuidam Gallo Nobili ad aulam Ludovici XI. regis Gailiae, nomine regis ad plura puncta respondit. Epistolae Mathiae Corvini regis P. I. Nr. 62.

XC.

Mandatum Dominae Elisabeth, genitricis Mathiae regis, ut Laniones porro quoque ut antea praestanda praestent. An. 1472.

Nos Elisabeth, Serenissimi Principis Dom. Mathiae, Dei gratia Regis Hungariae, Bohemiae etc. Genitrix. Memoriae commendamus per praesentes, quod quamvis nuper ad humillimae supplicationis instantiam, Colomanni Mag. Rotarum regalium, quodpiam Macellum religiosarum dominarum sanctimonialium, in claustro Beatae Mariae Virginis Vet. Budae fundato degentium, eisdem dominabus in opus pium testamentaliter legatum et collatum, una cum aliis macellis, in theatro dictae civitatis nostrae Veteris-Budensis situatum, pro certis causis, eotunc nobis declaratis, dirumpi et distrahi, ac in alium locum ipsi civitati nostrae, ut dicebatur, utiliorem locari et aedificari annuerimus. Nihilominus tamen ex post ex iuribus et literalibus instrumentis dictarum dominarum sanctimonialium et aliis certe documentis limpide agnoscentes, excepto macello proprio ipsarum do-

minarum sanctimonialium, de omnibus macellis praedictis carnifices seu carnium venditores, census annuales, in dictis litteris ipsarum dominarum sanctimonialium superinde confectis, manifeste expressatos solvere obligantur, pro eo digne iusteque et rationabiliter, ne dictae dominae sanctimoniales in earum ecclesia praedicta, suis iustis iuribus fraudentur quoquomodo, duximus recensendum, quatenus dictum macellum proprium ipsarum dominarum sanctimonialium, in situ adiacens et ordine, videlicet in loco priori, in quo existebat, loco in moderno et de novo locetur et ordinetur et situetur, omnesque proventus, videlicet tria centenaria de sebo bono et alios reditus ab antiquo dari solitos, tam de dicto proprio macello earum, quam de aliis macellis ipsi carnifices seu venditores carnium iuxta contenta praescriptarum litterarum et litteralium instrumentorum ipsarum dominabns sanctimonialibus et claustro earum praedicto, plene integre et sine defectu veluti antea reddere tenebantur, reddant, solvant et restituant, pleno cum effectu. Quod si non fecerint vel nollent, seu in huiusmodi censuum solutione quoquomodo, quod absit, negligentes seu contrarii reperirentur, extunc vobis iudicibus et iuratis civibus dictae civitatis nostrae Veteris-Budensis, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, firmiter committimus, quatenus vos eosdem carnifices seu venditores carnium, vice et nomine nostris cum eorum damnis et gravaminibus, in talibus fieri solitis, ad praemissa facienda singulis annis compellatis, et firmiter coerceatis autoritate nostra vobis in hac parte attributa, et iustitia mediante. — Secus gratiae nostrae sub obtentu facere non ausuri, praesentes, quibus sigillum nostrum est appressum, post

earum lecturam semper reddi volumus praesentanti. Datum Budae feria quarta proxima post festum pentecostes, anno Domino Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo. L. S. cerae rubrae impressi, iam parte maxima detriti.

E membrana originali. Superscriptum: Commissio propria Dominae Genitricis Domini Regis." Praesens mandatum civitas Vetero-Budensis transumit anno 1493. V. infra.

XCI.

Elisabethae viduae confoederatio. An. 1472.

Nos Nicolaus, Dei gratia Rex Boznae. notum facimus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod quia illustris Domina Elisabetha, Serenissimi Principis Domini Mathiae, Dei gr. Regis Hungariae, Bohemiae etc. Genitrix, Nos in filium suum recepit adoptivum et spiritualem, et quod sicuti hactenus, ita et in posterius futuris temporibus vita nobis Comite ipsi Dominae Elisabeth et per consequens praefato Domino regi Mathiae, filio suo carissimo — — — eiusdem fidelis esse teneamur. — Nos vero attendentes in armario cordis nostri praemeditantes nobis et successoribus nostris exinde bonum et utile, commodumque evenire posse. Nos ipsos cum omnibus haeredibus et successoribus, nec non castris, civitatibus, oppidis, possessionibus et iuribus possessionariis nostris quibusvis ipsis Domino Mathiae regi et genitrici eiusdem commendavimus, spopondimus et commedamus, spondemusque, ut dum et quandocunque a modo — — ipsa Domina nostra Elisabeth ad dicta castra nostra, civitates, oppida et possessiones nostras quaslibet et earum alterum, sive illam totiens quotiens intrare

voluerit, liberam intrandi, in eisdem iuxta suam voluntatem pausandi — — eademque et easdem protegendi habeat plenam potestatis facultatem. Ita tamen, quod a nobis et filio nostro Laurentio ac haeredibus nostris utriusque sexus — — easdem ipsa sua Serenitas aliquo quaesito sub colore non alienabit. Volumus insuper et promittimus, ut quo usque altissimus Deus, cunctorumque creator praefatam Dominam nostram Elisabeth, unacum praefato Dom. Mathia rege, in hac vita conservaverit mundiali, eisdem fideles erimus famulatusque et — — exhibebimus. Castellani vero castrorum nostrorum ubivis in dicto regno Hungariae et eius partibus sibi subiectis, et in Boznia existentibus, adiacentium et habitorum, secundum voluntatem eorumdem Domini Mathiae regis et genitricis eiusdem modo simili fideles esse, et famulatus constanter exhibere debeant et teneantur. Casu autem quo, si praefatum Dominum Mathiam regem, quod Deus avertat, priusquam annotatam Dominam Genitricem suae Maiestatis ex hac vita migrare — — gere videretur, imo ipse altissimus Deus eundem uberius — — sacrae coronae et regnorum suorum iuxta suam voluntatem, per tempora longeva feliciter conservare dignetur, extunc sicut in vita, sic etiam post decessum dicti Domini Mathiae regis contra omnes hostes et inimicos tam intestinos quam extraneos, ipsius Dominae nostrae Elisabeth, undecumque hoc regnum Hungariae subintrare praetendentes et machinantes — — totisque viribus et gentibus nostris penes memoratam Dominam nostram Elisabeth iuxta posse, nostrum et secundum voluntatem suam — — hostibus obviabimus, et obviare et contraire teneamur. Quae omnia et singula suprascripta in — — — sub fide nostra

christiana, quae omnipotenti Deo debemus, ac in verbo et honore nostris regiis nos realiter et cum effectu — — — inviolabiliter — — turos spondemus, promittimusque et tenore praesentium obligamus. In quorum testimonium praesentes litteras — sigillo nostro, quo ut Rex Bosnae utimur consignatas, dictae Dominae nostrae Elisabeth duximus dandas et concedendas. Datum Budae in festo ascensionis Dom. anno eiusdem millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

Spiess Aufklärungen Anhang Nr. VI.

XCII.

Donationis Hunyadiandae documentum. An. 1481.

Nos Vincentius de Tömösvár ac Paulus Magnus, Castri Hunyad Comites, item Matthaeus de Alpestes ac Joannes de Havo Judlium Comitatus Hunyadiensis; memoriae commendamus per praesentes, quod Georgius Szabo Krajnikus ac universe Kenezii et incolae pertinentiarum castri Dewa personaliter nostram veniendo in praesentiam, per eosdem fassum exstitit coram nobis, in hunc modum: Quomodo spectabilis et magnificus quondam Joannes Vaida Gubernator Regni Hungariae etc. felicis recordationis, Nobili et famoso Theodoro Kenezio, possessionem Törzök, simul cum quadam particula Kalmarfölde appellata, in pertinentiis dicti castri Dewa adiacentes, tempore suae gubernationis pro fidelibus servitiis ipsius Theodori, specialiter dum praefatus quondam Joannes Vaida in campo Rigomezeje per saevissimum imperatorem Turcarum, simul cum gentibus suis prostratus fuisset, et ipse Dom. Johannes Vaida in loco certaminis de equo suo in terram prostratus

et deiectus, annotatus Theodorus equum sub ipso habitum eidem Domino Vaidae contulisset, per quem manus inimicorum et hostium suorum evasisset, dedisset, donasset et in perpetuum contulisset, praefato Theodoro et suis haeredibus universis. Quae quidem praefata possessio Tözök et ipsa particula terrae Kalmarfölde vocata, mortuo praefato Theodoro ad progenitos suos, videlicet Michaelem Berettin cum fratribus condescensa foret, in quarum pacifico dominio perstitissent, ipsorumque fore scirent de praesenti. Super qua quidem fassione praefatorum praesentes litteras nostras, horum in testimonium praefato Michaeli et suis fratribus duximus concedendas. Datum in Barcha feria tertia proxima ante festum B. Valentini Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octogesimo primo.

E chartis transilvanis.

XCIII.

Joannes de Hunyad, Joannis Pongrácz de Dengelegh avunculus. An. 1511.

Conventus Cruciferorum S. Regis Stephani de Alba — — — Quod si temporum in processibus praescripta iura possessionaria per quempiam regnicolarum ab eodem Capitulo, deficientibus tamen haeredibus praenominati Domini Laurentii Ducis et magnificae ac generosae Dominae Catherinae conthoralis eiusdem, filiae videlicet olim Magnifici Joannis Pongracz de Dengelegh, Vaivodae Transilvaniae, et Comitis Siculorum, avunculi scilicet condam Domini Mathiae Regis Hungariae, piae reminiscentiae per modum, sive processum iuridicum obtineri et alienari contingeret etc. Datum in festo sanctissimi

Corporis Christi, Anno eiusdem millesimo quingentesimo septimo. Venerabilibus et religiosis viris Magistro Georgio praeceptore et eodem custode, Antonio Cantore, Paulo Lectore, caeterisque fratribus Ecclesiae nostrae praedictae existentibus, regi famulantibus sempiterno.

Ex archivo Cap. Vesprim. Hunc Joannem Pongrácz de Dengelegh, in Comitatu Szathmár, sororinam Joannis de Hunyad a Giskra repudiatam duxisse, arbitror.

III. Genus et incunabula Joannis, regni Hungariae Gubernatoris.

E scriptorum ac literarum solennium testimoniis deducta.

Testimoniorum praemissorum, fide et auctoritate videntur nobis, sequentia constare:

1.) Herois nostratis pater fuit Voik, Valachus, filius Serbe, miles aulicus: palam confitentur id Thuroczius: „Erat nobili et claro Transalpinae gentis de gremio natus Joannes de Hunyad. — Peregrinis de partibus regni Hungariae deductus inter oras. — Fertur rex Sigismundus genitorem ipsius, virtutis merito, partibus de Transalpinis suum traduxisse in dominium"; loco citato Bonfinius: „Parentibus nequaquam obscuris editus; pater namque inter Valachos — plurimum apud gentem eam valuisse; — e Transalpinis oris in Transilvaniam translatus fuisse fertur" l. c. — Aeneas Sylvius: Huniades, — Dacus hic (nunc Valachos appellant) natione fuit, haud claro

genere natus, sed factis per arma clarissimus" l. c. — Ludovicus Tubero: Hic autem rex (Mathias) paterno genere Geta erat. Graeca voce Moro vlachus (niger Olahus)" l. c. Confirmat Diploma Sigismundi de anno 1409: „Voik aulae suae militi, ac per eum Magas et Radul carnalibus, ac Radul patrueli fratribus, nec non Joanni, filio, suis terram Hunaydvár conferentis nro I. Voik, Radul nomina originem produnt valachicam. Tum Alberti, qui patrem Joannis nostri, expresse Olah, seu Valachum compellat, diplomate, quo hunc Banum Zeuriniensem constituit. Nro II. Omne dubium tollit Nicolaus Olahus, Archiepiscoporum Strigon. doctissimus, ex eiusdem Hunyadii sorore Marina Valachą ortus: „Johannis, inquit, Hunyadis, Vaivodae Transilvaniae, postea vero Gubernatoris Hungariae tempestate, Dragula, Vaivoda Transalpinus, partim interfectis, partim expulsis his, qui e Dani erant sanguine, regnum occupaverat. Mamzillae ab Argyes, ex uxore Marina, eiusdem Joannis Vaivodae sorore, duo erant inter alios filii: uni nomen fuerat Stanzul, qui Danum et Petrum filios suscepit; alteri Stojan, hoc est: Stephanus. Is me et Matthaeum filios, Vrsulam et Helenam filias genuit. Potitus igitur rerum Dragula, Stanzulum patruum meum insidiis interceptum, securi percussit. Stephanus vero puer adhuc — confugit ad Mathiam regem, qui decreverat eum saepe numero ad regnum cum exercitu reducere, sed pater — maluit in Transilvania, matrem meam, Barbaram Hunzar, ducere uxorem, vitamque agere privatam, quam in tyrannide et imperio, mille periculis subiecto, instar maiorum suorum interfici." Hist. Hung. Cap. XII. p. m. 23. Cum soror Hunyadii herois nostri carnalis Marina origine fuerit Transalpina, hunc

quoque Valachum fuisse, inficiari nequimus. Num pater illius e coloniis Romanorum in Transalpina Dacia superstitibus, aut vero e Getis ac Bulgariis, provinciam hanc ingressis, ac linguae latinae pigmento quodam imbutis, ortus fuerit, liceat cuilibet, ut lubet, sentire *).

2.) Matrem eius ingenuam, venustissimam, Nobilis cuiusdam Valachi Transilvani filiam

---

*) Mathias Belius Not. Hist. Tom. II. p. 573. Johannem de Hunyad genere Valachum fuisse, ex scuto eiusdem, caput humanum, fere ut Valachiae insigne, referente, arguit. Nos simile ipsius insigne haud comperimus. Vexillo, in quo corvus annulum gestans depictus fuerat, usum ex Callimacho Lib. I. §. 2. novimus. Sigillum eius vidimus: corvum exhibens gentilitium, cum Luna decussata et hac perigraphe: S. JOHANNIS DE HUNYAD, GUBERNATORIS REGNI HUNGARIAE. — Litteris donationalibus solebat sigillum etiam ordinum regni adiungere, quod inde a Mariae Regis temporibus refert crucem patriarchalem tricolli insistentem, cum hac epigraphe: S. PRAELATORUM, BARONUM ET NOBILIUM REGNI HUNGARIAE. Vt patet e litteris anno 1446. feria II. ante festum BB. Petri et Pauli Apostolorum hac forma editis: „quibus sigillum nostrum, quo nunc seu Gubernator huius regni utimur, sed et sigillum universitatis eiusdem regni Hungariae penes sigillum nostrum, de nostro beneplacito, ac dictorum DD. Praelatorum et Baronum assensu sunt appensa.“

fuisse, innuit Bonfinius: „Aiunt, ingenuam venustissimamque Valachi cuiusdam nobilis filiam in Transilvania (patri Joannis) Valacho, haud quaquam ignobili, nupsisse.“ Dec. III. lib. IX. circa finem. Nomen matris, Elisabetham, ac filiam Morsinaianam, Caspar Heltay prodidit: „Opulenti Boyeronis (i. e. Valachi nobilis) filiam — ex genere Morsinai — Transalpinus quidam Boyero, nomine Woyk, qui ob simultates valachicas huc (in Transilvaniam) se patriis, ex oris receperat, venustate Morsinaianae captus, duxit. — Elisabetham, vocatam ferunt;“ Icoo c. — Familiae Morsinaianae laterculum post gesta Stephani Morsinai, lingua originali slavica, tum latina redditum, conservavit Steph. Kaprinai MSS. sub B. Tomo XLI. numeris XXXVI—XXXVIII. *).

3.) Primam aspexisse lucem in avito gentis suae vico Hollós seu Corvino, monet identidem Bonfinius: „In Corvino vico (Hollós) natus.“ „In hoc itaque vico, in Corvino pago, Joannes, Mathiae pater, natus est.“ Dec. III. Lib. IX. sub finem; more ideo patrio, a loco natali, Scriptoribus latinis, Cor-

---

*) Matrem Joannis Hunyadii Elisabetham de Morsina aeque valacham fuisse, non tamen Transalpinam, sed Transilvanam, tam Bonfinius quam Heltayus innuunt. Vxorem, Elisabeth Szilágiam circa annum 1432, proin qua militem tuntaxat, matrimonii vinculo Hunyadium sibi copulasse, inde colligimus, cum Ladislaus, primo genitus eorum, An. aetatis 24. sit Budae, in foro S. Georgii apparitoris manu capite truncatus 1457.

vinus, vulgariter Caspari Heltayo, Hollósy János vel Jankula compellatus l. c. *).

4.) A possessione vero Hunyad, a patre suo Voiko anno 1409. militaribus servitiis impetrata, iure itidem gentili, Hunyadi, Hunyadius vel de Hunyad denominatus; quod Joannes de Thurócz insinuat: „Rex Sigismundus, virtutis merito patris pulsatus, illum partibus de Transalpinis suum traduxit in dominium, — nihilominus digna perpetuaque eumdem munitionis Hunyad possessione donavit" l. c. Sigismundus rex, litteris suis anno 1409. concessis palam est professus: se Voiko, aulae suae militi, ac per hunc fratribus, ac filio ipsius Joanni, munitionem Hunyad contulisse. Dipl. nro I. Idem innuit Ladislaus Posthumus dicens: per Sigismundum prima haereditate in hoc regno suo fuisse condonatum. Dipl. N. LXII. Id propter usu venit, ut non solum Corvinus, sed etiam Hunyades ac de Hunyad promiscue sit cognominatus **).

---

*) Videtur idem Joannes castro Hunyad anno 1409 a patre impetrato, in Transilvaniam primum traductus, gentilisque nostras effectus fuisse. Mirum proin non est, quod linguae latinae expers manserit. Qua Gubernator ab epistolis Johanne de Zredna, alias Vitézio, usus fuerat, quem etiam Episcópum Varadinensem constituit.

**) Quo pacto scripserit Joannes a Capistrano ad Callistum III: PP. de eodem: Substituit tamen nobis (Deus) non imparem sibi virum Nicolaum de Ujlak, sub cuius dominatu valido et potenti ipse idem Joannes cum quinque

5.) De anno eiusdem natali Chronicon Chronicorum Politicum, collectore Gualtero Belga Francofurti anno 1614-mo, in octavo editum, dies natales Principum, Comitumque, ex genethliacis MSS. mathematicis, item annalibus passim per Europam publicatis collectis P. I. p. 1225. notat: „Joannes Huniades, Vaivodae Transilvaniae, natus 30. Martii A. 1390; — ast hic annos prope quatuor retrahendus ipsomet Joannis de Hunyad testimonio, qui epistola ad Eugenium IV. PP. anno 1448. die 17. Septembris data, inquit: iam supra sexaginta numeramus annos (vide nro XLV.) Si anno 1390. natus fuisset, anno 1448 nec sexaginta numerasset aetatis annos; anno proin prope 1386. natus sit oportet; huic singula vitae ipsius stadia, resque gestae, obitum usque rite congrunnt:

---

vel sex equis suam militiam inchoavit" l. c.; praeceptu est difficile: etiamsi concedamus, Ujlakium Hunyadio seniorem, ideoque in Vaivodatu primum fuisse, ut patet e litteris Wladislai anno 1442 datis: „Wladislaus Dei gratia Hung. Polon. Dalm. Croat. etc. Rex, Lithvaniaeque Princeps et haeres Russiae, fidelibus nostris, Magnificis Nicolao de Ujlak et Joanni de Hunyad — Waivodis nostris Transilvanis vel eorum V. Vaivodis salutem et gratiam. Datum Budae feria III. proxima post festum B. Matthaei Apostoli et Evang. anno MCDXLII. (ex adversariis MSS. Hustii); ast Hunyadium sub Ujlakio tyrocinium militiae posuisse, admittere nequimus: oportuisset enim ratione hac Ujlakium Hunyadio annos minimum 15. seniorem, proinde Bosniae regem factum anno 1472. plusquam contenarium fuisse: quod fidem omnino excedit.

Anno 1409. aetatis suae 23. cum patre suo, patruisque terram Hunyad coimpetravit (Diplom. I.) in clientelam Nicolai Chakii, tunc Transilvaniae Vaivodae admissus; benevolentia Francisci Chanadini fruitus; adolescentiam regnante iam Sigismundo egregie traduxit; stipendia sub ungaro, halae (alae) praefefecto, meritus, ait Bonfinius l. c. „Ipse Joannes regnante condam gloriosissimo Principe, Domino Sigismundo, tunc rege, avo nostro, beatae memoriae, annos iuventutis laudabili indole exegit, in quibus praematurum sensum et adultam semper gravitatem prae se ferens studuit, ut quo plurimi aliena ope et suorum maiorum titulis irrumpunt, eo sudoribus suis, virtute, ingenio et vigiliis ascenderet; pulchrum gloriae genus existimans, praelucere posteris et nascentibus nominis decus ac dignitatis initium adferre. Adolescentia vero egregie traducta, corpus ad tolerandos labores et militarium exercitiorum actus, asvefaciens et habile reddens, futurorum inclitorum operum suorum fundamenta certis praesagiis iecit, et ingenuis moribus, quasi quibusdam gradibus, ad dignitates, honores et gloriosam nominis famam, liberos sibi ascensus comparavit; praeclare enim indolis miles et imperiali obsequio dignus, tunc primum regiis militibus commatriculatus est.“ Dipl. nro LXII.

Annis 1410—30. Sigismundum, coronam imperialem Francofurti suscipientem, tum belli contra Bohemos seditiosos, ac Turcas saevissimos iugiter secutus, aetatis 35—45: „Successive itaque fide devotisque obsequiis praefato avo nostro sive pro susceptione imperialium infularum, seu pro reparandis ruinis regni sui Bohemiae pro decenti, sed et in aliis cunctis negociis gerendis et rebus bellicis ad tem-

pora vitae suae, fideli semper sollicitudinis diligentia inseperabiliter adhaesit, pro cuius etiam honoris amamplitudine seepius capitis periculum bello et armis adiit. Lad. Posth. Dipl. nro. LXII.

Annis 1431—4. aetatis 45—48. Sigismundum Mediolani coronam ferream suscepturum, secutus, sub Philippo Duce Mediolanensi servitia obivit militaria: „In Italia duos annos sub Duce Mediolanensi stipendia meruit, nam Sigismundum in Italiam secutus remansit. — Munia quaequae militiae honorificentissime gissit; ex bono tyrone miles fortissimus, ex milite imqerator optimus emersit. Per singulos ordines miro laudis et gloriae successu iam evectus, provincias cum imperio sortiri coepit," ait Bonfinius Dec. III. libro IX. Cf. Thuroczium loco praelaudato.

Annis 1435—7. aetatis 50—52. in provincia Serviae, copias Belgradenses ductabat, primasque messuit de Turcis victoriae palmas: „Vnde reversus profectus venit ad Triballorum (Serviorum) Ducem. Mercede autem conductus, longo admodum tempore apud hunc ducem versatus est, ubique, quocumque mitteretur, fortitudinem et diligentiam memorabilem ostendens," ait Chalcocondylas l. c. Anno 1437. consertis cum Turcis in defensionem castri Belgradiensis, armis, caesis fere quadraginta eorum millibus, ac quatuor praecipuis eorum ducibus, qui postea Pragam adducti sunt, interceptis; Amurate hac clade affecto, qua belli Dux inclaruit. Vide Histor. Turc. la Croix, apud Schulz P. I. p. 199.

Anno 1439. aetatis 54. ab Alberto, Imperatore et Hungariae Rege, ad Baronatum regni, Banatum

quippe Zeuriniensem evectus, bonisque auctus; vide Dipl. nro II. Instabat praesens a Turcis periculum, qui, vastata fere tota Servia, Belgrado obsidionem minabantur; Georgius Despota, discrimini proximus, missis crebro ad Hungaros nunciis, opem implorabat. Joannes Hunyad, qui desiderio incredibili manus cum Turcis conserendi tenebatur, foederato regni socio, ne si is succubuerit, hostis in regni viscera penetret, mature occurrendum, alii contra nihil iniussu regis tentandum censebant." — Repertorium MS. Ant. Steyrer ex Tab. caesareo. „Castris subin (anno 1439.) ad Zalankemen fixis, Danubium traiiciendum ac pugnae decretoriae copiam contra Amuratem, Zendroviam obsidentem, faciendam petiit; sed aliis hostis mora ac velitatione delassandus videbatur. — Zendrovia subacta, sex Magnatibus, cum copiis suis e castris recedentibus, Albertus se proditum vidit." Windeck cap. 222. „Joannes de Hunyad altioribus eotunc (relata prima de Turcis victoria) sublimandus honoribus, nisi ipse avus noster e vita excessisset. Succedente tandem excellentissimo principe, Domino Alberto, similiter Romanorum ac Hungariae Rege etc., Genitore nostro, felicis recordationis, certe dudum fidelitatis opera continuo cremento augens et in ipsius Genitoris nostri obsequiis, ac expeditionibus bellicis, quas idem suo adversus nonnullos rebelles regni Bohemiae, seu contra Teucros laudabili semper exitu confecit, nunc prudentis consiliarii, nunc vero strenuissimi militis agens officium, adeo fuit continuus et utilis, ut ab eodem genitore nostro primum de milite ad nostram Baroniam Regni, Banus videlicet Zeuriniensis, qui clarus Baroniae titulus est, insignibus meritis creatus sit, ubi et gloriosa tandem adversus Teucros, eotunc illis

partibus oppido infestos, praelia ipse, et egregius quondem alter Joannes, de ipsa Hunyad, miles, sibi sanguine frater, fortissimaque strenuitate par et socius, victorioso semper fine saepius confecerunt." Lad. Posth. Dipl. nro LXII.

Anno 1440. aetatis 54. a Wladislao, Rege Hungariae, Baronatum Vaivodae Transilvaniae emeritus, ut inscriptio Coronensis notat: „MCDXL. Johannes Hunyades, Banus Zeveriensis, Waivoda Transilvaniae constituitur." Apud Schwandtner Tom. I. pag. 886. Merita eius insinuat Thuroczius Chron. P. IV. cap. XXX.: „Praefatus igitur Johannes de Hunyad semper sui superioris lateri adhaerendo, quum iam de virtute in virtutem crevisset, a minoribus regni officialibus, quorum usque ad tunc fretus fuisset honore, successivo incremento in tantum claruisset, quod ad Vaivodatum partium regni Transilvaniarum suum extulisset et titulum; vir in regno non parum potens, et ipse regi Wladislao adhaesit." Meritum eius explicat uberius l. c. cap. XXX.: „Viri in regno potentes, Ladislaus de Gara Banus, Joannes Phylpes de Korog, Andreas Bothos de Xanoph, Henricus, filius Vaivodae, de Thamasy, omne robur suum in arma concitantes, iniurias reginae, filiique illius propulsaturi, secus monasterium de Czykador, quem locum vulgus Zék (Bátaszegh) appellare solet, castra metati sunt. Contra quos praefati Dominus Joannes de Hunyad Vaivoda, et Nicolaus de Ujlak, tunc Banus Machoviensis, compositis agminibus, velisque extensis venientes, in magna virtute bellandi illorum irruerunt super castra. — Cum Regis Wladislai pars animo pugnaret ferventiori, mox castra partis alterius perturbata sunt, dissolutaque per avia ferebantur,

ac cuncti eorumdem praesidio castrorum nudati, sparsim fugiebant. — Persequebantur eosdem Vaivodae ac Bani milites; — ubi Andreas Bothos, homo severus, severa morte interiit. Henricus quoque, filius Vaivodae, captus est; Ladislaus autem de Gara Banus et Joannes Phylpes de Korogh fuga elapsi sunt. — Fuerat ea propter Hunyadius a Wladislao Rege possessionibus Solymos condonatus. An. 1440. Vide Dipl. Nro III.

Anno 1441. aetatis 55. Comes una Themesiensis ac Belgradi Praefectus creatus insignem de Turcis retulit victoriam: „Quum, inquit Thuroczius l. c. cap. XXXVI., post haec eorumdem temporum sub decursu, Dominus Joannes de Hunyad, Vaivodatus Transilvani et Banatus Severiensis honore claresceret et in Comitem Temesiensem creatus, exigenteque rerum necessitate, castri Nandoralbensis in praedicto Capitaneus factus extitisset, ac partes regni Hungariae inferiores usque ad flumen Titiae, totaque Sclavonia ac cunctus ager Savae flumina medius, dira Turcorum rabie vastarentur, civitates et villae, ac oppida vehementes per flammas comburerentur, res diriperentur; homines sine discretione sexus et aetatis aut interficerentur, aut perpetuae servitutis iugo mancipandi abducerentur; omnibus regnicolis, intrinsecis fluctuantibus odiis ac partibus regni praescriptis manifesto discrimini relictis, solus ipse Dominus Joannes Vaivoda tantam christianae religionis persecutionem amaro corde tulit. Quapropter post multos cum ipsis Turcis, in quibus semper victor evasit, partiales congressus, dum eorumdem dierum sub volumine, Vaivoda quidam Turcarum Isak nomine, qui castrum Zendrew caeteris-

que Rasciae regni arces, ac poene omnem Rasciam sive Serviam ex dono praefati caesaris Turcarum tenebat, suorum magna vi subditorum collecta, castro Nandoralbensi circumiacentes vicos diripere, exureque, ac novi capitanei animum tentare aggressus est; ipse Dominus Joannes Vaivoda hostilem sciens conatum, ea, quae ad tantum hostem tractandum pertinebant, componere non neglexit. Congregato enim peroptimo armatorum praesidio, ac ex illo aciebus ordinatis, hostis se hosti in campo obtulit. Fit igitur magno cum impetu congressus utriusque hostis et multi imbelles primitiis sternuntur ab equis; clamor exoritur ingens; moribundum instat certamen; innumeri parte ab utraque cadunt interfecti. Izak ergo Vaivoda, Hungaros aut vincere aut mori praeoptasse videns, mox terga vertit, et in veloci cursu sui equi versus castrum Zendrew simul cum suis, qui superant, fugam iniit vehementem. Vnde Dominus Joannes Vaivoda et omnis suorum militum coetus secuti sunt illos in ore gladii, quo dum ipsius castri Zenderew moenia intuiti sunt, multos ex ipsis in cadavera redigentes. Tandem cum victoria et raptarum magna cum opulentia rerum in castrum Nandoralbense redierunt." Hoc Joannis de Hunyad insigne meritum recognovit etiam Ladislaus Posthumus Dipl. nro LXII.: „Consequenter ipso etiam divo genitore nostro, licet satis praemature, ut tamen Domino placuit, vita functo, dum regnum nostrum Hungariae nobis eotunc apud incunabula et alienam educationem aetatem agentibus, idoneo tutore orbatum et intus gravissimis odiis exortis fluctuaret et foris grassante dictorum Teucrorum tyrannide, innumeris affligeretur malis, utpote iam ipsi Teucri vastare agros, diripere villas, homines sine discretione sexus clas-

sis vel trucidare, vel abducere impune consueverant, et poene totas inferiores ipsius regni nostri Hungariae partes, usque ad fluvium Ticiae et item ex altera, usque ad interiora loca regni nostri Slavoniae vel miserabiliter vastaverant vel occupaverant, adeoque gravissimo metu iam totum regnum concusserant, ut illud in pendenti ferme ruina positum sui blasphemorum Christi manibus solam restare putaret occupationem; praefatus Joannes de Hunyad medio tempore Vaivoda Transilvanus et Comes Themesiensis creatus, factus etiam Capitaneus Nandoralbensis et aliarum inferiorum partium, eis titulis non minus, quam acceperat, dignitatis et gloriae restituit, illiusque suae sublimationis primordia pulcherrimis quibusdam victoriae generibus conservavit, fudit enim imprimis victrici bello, in terra Serviae prope castrum Nandoralbense Izak Vaivodam Teucrorum, qui eotunc castrum Zenderew, cum tota ipsa terra Serviae occupatam tenebat." Dipl. nro LXII.

Anno 1442. aetatis 56. maximis in Transilvania de Turcis inclaruit victoriis; ad vicum nempe Sancti Emerici (Szent-Imre) 9. Martii, et ad portam ferream, vulgo Vaskapu, mense Julio. Primam edisseseruit Joannes Thuroczius Chronic. Cap. XXXVII.: „Post hanc ipsi Domino Vaivodae divinitus datam victoriam, non multo dierum intervallo praetereunte, alter Turcorum exercitus, gloria victoriarum, ante haec tam de Hungaria, tam aliarum sibi vicinarum nationum de regnis reportatarum, tumidus, magna praesumens magnoque suae generationis populo, ac armorum munimine non modico suffultus, duce quodam Vaivoda Mezetbeg vocato, homine austero, resque bellicas dirigere docto, per terram Transalpinam

clandestina quadam eruptione, alpibus transitis, regni Hungariae Transilvanas irruit in terras. Gens crudelis et cuncta offendere solita, quaequae sibi occurrebant, pietate absque aliqua, ignis et ferri vim adhibendo, omnia vastabat; aetasque aut conditio cuipiam aliquam non ministrabat redemtionem. Hanc funestam eiusdem exercitus Turcorum ante eruptionem paucis diebus D. Joannes Vaivoda in ipsas transalpinas partes venerat, aditaque civitate Albensi vulgari vocabulo Gywla-Fejérwár vocata, quid de hoste faceret, cogitabundus praemeditabatur. — Subitum enim tanti inimici propter adventum, copias adunare et illi occurrere, sibi omnino negabatur. Quapropter maxima premebatur anxietate, ita ut ora illius ex nimiarum cogitationum impulsu marcescerent, et labia scinderentur. Quum autem ipsi Turci multis iam dicti Transilvani agri partibus percursatis, ingentem praedam hominum, rerumque ac pecorum trahentes, dictae civitati Albensi propinguum ad campum venerunt sic, ut incendia, fumum eructantia, illos non remote esse testarentur; Dominus Vaivoda Joannes, alios sustinere valens, se sustinere nequivit, quin totus excandesceret in vindictam; tanto hosti obviandum esse statuit, militumque minus congrua in comitiva conflicturus, prosiluit in campum. Erat eisdem in diebus Episcopus civitatis eiusdem, homo decentis reverentiae, in rebus tamen rite agendis vehemens, et hic ipsum Dominum Vaivodam comitatus est. Progredientes igitur, quum incauti ad campum villae S. Emerici pervenerunt, subito cunctae circumadiacentes valles ingentia hostium agmina, in abscondito latentia, tantummodo ipsius Domini Vaivodae adventum exspectantia, se effuderunt. Quid ultra? Ipse Dominus Vaivoda campum deserere, imparem-

que sibi hostem declinare coactus est. Fugiebant, qui poterant cuncti, qui autem in fuga deficiebant, per hostem aut capiebantur, aut interficiebantur. Vbi et praetactus Episcopus celeri cursu sui gradarii, dum fugiens, suo gradario trans decursum cuiusdam rivuli saltante, in terram decidisset, decollatus est. — Extulit haec res cor Mezethbeg Vaivodae, ipsumque maiora aggredi animavit. Quapropter omni sine timore Transilvanas ferebatur per partes. Gaudebat de praeda, maxime de illa, quam sibi sors pugnae obtulerat. Hanc quidem intactam suo ferre caesari cogitabat; ergo et vectores et custodes curruum in idem servabantur. Inter haec Dom. Vaivoda Joannes omnem ipsarum partium militem, quem tam repertini temporis in spatio conducere potuit, in magna celeritate congregavit, ulciscique ardens mox egressus, hostem sequebatur. Quum autem haec Mezethbeg Vaivodae nunciata sunt, fertur dixisse. — Veniat et nobis plus, quam pridem, lucri faciat. — Stabat ad tunc, quum haec dicta sunt, speculator Domini Joannis Vaivodae Turcorum, dicto Mezethbeg adstantium, in medio, ac omnia, quae inter ipsos de committendo bello collata sunt, audiebat. Festinanter igitur ad Dom. Joannem Vaivodam rediens, secrete dixit ille: Tu et omnia tuorum armorum insignia, quibus propriae personae uterisque pro defensione, equique tui color, Mezethbeg Vaivodae prodita, et me praesente robustissimi milites in armis caeteris praestantiores, delecti sunt, commissumque est illis, ut quam primum te circumveniant, et quam maxime tuam festinent ad interemtionem. — Habebat Dominus Vaivoda Joannes inter alios militem unum, Simonem nomine, ex generatione nobilium de Kamonya (de Kemény iuxta Cl. Benkő Trans.

I. p. 179.) ortum, a se in forma corporis non multum differentem, militarisque animi virtute suos inter socios non minus valentem. Cum hoc igitur milite ipse Dominus Vaivoda arma et equum commutavit, ac ad eius defensionem milites nonnullos, virium fortitudine, bellandique desiderio perspicuos deputavit, et tandem omnibus, quae belli exigebat necessitas, multa discretione ordinatis, hostem priori victoria tumidum, in quodam vico partium praedictarum, suas ad bellum componentem acies, in magna aviditate bellandi aggressus est, et tanquam turbo quidam vehemens, irruit super eum; — congressu quoque in primo, omnia illorum agmina perturbavit, ac varias in forti suorum brachio distinxit in partes. Ferebatur hostis uterque per colles et valles, et semper in tanto certamine gladius hungaricus Turcorum frameae superferebatur. Sed quid profuit per Dominum Vaivodam Simoni de Kamonya designata custodia, qui mox in primitiis belli, prodentibus ipsum Domini sui armorum insigniis, loco eiusdem Domini sui, ipsa custodia et fidelibus armis suis non obstantibus, Turcis Vaivodae eorum praecepta etiam cum interitu personarum fideliter exequentibus, interfectus est? Ea propter convenit exercituum ducibus, ut suam parte ab adversa abscondant agnitionem. Nam saepius contigit, ut, cadente Duce, ducti omnes cadant. Fervente igitur attrocissimo bello et Turcis magis in sui defensionem, quam in vincendum laborantibus, omnes captivi, quos ad villam S. Emerici illis obtenta victoria dederat, liberari et mori potius quam illorum captivitate torqueri parati, magna vi in sua defensione laborabant, hostes crudeliter perimendo. Dum igitur Vaivoda Mezetbeg tantam suae partis conspexit caedem, cunctis suae partis agmini-

nibus fuga laborantibus, et ipse fugam iniit, nec tamen haec fuga salutem ipsi praestitit. Nam fugiens, dum evadere conatur, inter alios fugientes, quos ipsi Hungari insequentes perimebant, ipse et filius eius interfecti sunt, captamque praedam cum proprii capitis damno innumerabilique suae gentis strage refudit. Dominus ergo Johannes Vaivoda, omnibus captivis liberatis, praedaque ab hoste erepta, hostem magnam convertens in praedam, paucis admodum Turcis fugae praesidio salvatis, felix et victor alpium usque ad iuga illos persecutus est, ac errabundum captivando hostem, pluribus diebus campum tenuit cadaveribus refertum. Cuius victoriae, ingentis gloriae, fama hanc regno attulit utilitatem, ut Transalpinarum partium et Moldaviae Vaivodae, praeteritis qui temporibus a regno, regibusque Hungariae discissi, sacrae coronae rebellantes, Caesari Turcorum praedicto, omnem vim suam dedicaverant, D. Joannis Vaivodae aut consilio inducti, aut metu concussi, ipsorum simul cum dominiis in pristinam redierint fidelitatem, obsequia regi Vladislao exhibere, iurando promittentes." Idem affirmat Chalcocondylas apud Stritter Tom. III. p. 712. Hunc victoriae cursum ac fructum percipimus etiam ex Ladislai Posthumi literis: „Consequenter vero, dum paucis post diebus alter Teucrorum exercitus nonnullas iam pridem de nostris adeptus victorias, amplo milite superbus et gloria vividus, partes nostras Transilvanas solita flagitia, ac hominum et rerum praedam acturus subintrasset, memoratus D. Joannes Vaivoda cum illarum partium gentibus, pro fortissimi Ducis officio, strenuo illi occurrit congressu, ubi dum collatis signis et consertis manibus Mars utrinque crudesceret, adeo laudabiliter hostem conflixit, quod

ipse quoque adversi exercitus Dux, qui Mezythbeg vocabatur, una cum filio suo, vicecapitaneo, occisus refusam praedam proprio et filii casu suppleverit, suis omnibus complicibus vel fusis, vel captis et paucissimis fuga salvatis; ex quo opere huic regno ea accessit utilitas, ut partium Transalpinarum et Moldaviae Vaivodae, qui adhuc progenitorum nostrorum temporibus sacrae huius regni coronae rebellando, Teucris se subiecerant, ipsius Joannis Vaivodae cum consilio inducti, tum metu concussi, rursum huic regno, cum tota sua terra se restituerunt, pristina fidelitatis obsequia nobis usque in diem hanc exhibere obligati" l. c.

Alteram, ad portam ferream dictam, depugnavit idem Joannes, teste Chalcocondyla (l. c. p. 712), „Rex Amurathus maximam esse calamitatem, duxit mortem Mezetis. Parabat igitur ipse expeditionem suscipere contra Pannodacos; missisque per suum regnum praeconibus, edicebat, ut primo vere adessent omnes. Postea mutata voluntate Sabatino (Schacho Abedini, iuxta scriptores turcicos) eunucho, viro rei militaris peritissimo, belli istius curam omnem mandavit, quum eunuchus id consilium optimum et tutissimum fore censeret. Jussit itaque rex, non prius bello desisteret, quam devicisset Pannodacos. Hic igitur accipiens regis exercitum et peregrinorum de ianuis regiis (vulgo Janicsarorum) quasi quatuor millia, Istrum transivit et copias omnes in Ardelii regionem induxit. Dehinc aliquot diebus iter fecit per Pannoniae regionem. Jangus (Joannes) autem Choniates (Hunyades) vir ea tempestate inter Pannones excellens, cui Ardelii regio commissa erat, ab Pannonum concilio, exercitum, quam potuit,

maximam comparuit ab Ardelio et Pannonia. Hoc instructus sequebatur per montium saltus Sabatinem. Sabatines, quum iam in hostili regione foret, putabat, res suas praeclare habituras, si hostium agros evastaret. Emittens itaque equitatum omnem et maximam exercitus partem in hostium regionem, praedas agere volebat, quasi hinc plurimum suis opibus accedere posset. Paucissimi vero manebant cum Sabatine in castris. Jancus, ut comperit, castra hostium poene esse deserta, praeclarum facinus putabat, si accedens, inopinatus castra opprimeret. Descendens itaque cum suis ex monte, impetu invadit Sabatinis castra, defensionibus vacua. Sabatines exire castris, ut praelii potestatem faceret, non poterat. Proinde ad castra defendenda convertitur, quae tamen retinere nequivit, quum violenter Jangus cum Pannonibus irrumperet. Ad fugam itaque inclinat animo toto, festinabatque, maxima usus celeritate transire Istrum, antequam transitu ab hostibus intercluderetur Jangus, captis castris, quosdam in insidiis locat, quibus exciperet hostes adversus mancipiorum aliarumve rerum praeda onustos, omnesque conficeret. Et in hunc modum maxima hostilis exercitus pars miserabiliter interiit; Jangusque victoriam sibi peperit celebriorem, quam ullam unquam eius antecessores invenerint" (p. 715.). „Haec victoria Pannonum res erexit in pristinum statum, ex quo enim tempore Paiazitis auspiciis, ductuque Turci regem Sigismundum in fugam verterunt, haud cessarunt Turci in Pannoniam excursiones facere; plurimaque inde abduxerunt mancipia, quibus Asiam et Europam replevere. — Vbi autem Jangus advenit in Ardelii regionem, Princeps declaratus communi Pannonum concilio, Sabatinem et Turcos terga dare coëgit. Hinc

animis resumtis, Pannones praeclaris operibus editis, Turcos ubique vincebant; nam Istrum saepius transgressi, interfecerunt pauci plurimos Turcos, qui antequam ad manus ventum foret, non sustinentes impetum Pannonum, fugam praecipites inibant." Id. l. c. Locum pugnae propius designat Thurocz. l. c. cap. XXXVIII. „Quum caesar Turcorum, Amurathes, toties in suis actam stragem, tantamque suae gentis mortalitatem, ac terras Moldaviae et Transalpinam illorumque dominos a se discessisse cogitabundus intra se saepius revolvit, animo admodum perturbato, statuit gravem de his, qui illum offenderant, exigere ultionem. Quapropter octoginta suae gentis millia ex delecto sui principatus milite, virtute bellandi peroptimo coadunavit, ac bassam, hominem, in gerendarum sui regni rerum a se secundum, illis in ducem praeficit, praecepitque illi, ut quam primum transalpinas terras invaderet et illas propterea, quod Vaivoda eorumdem ab ipso defecerat, quam primum depopularetur; tandem inde in regni Hungariae transsilvanas partes copias traduceret; in eisdem de iniuriis per Dominum Joannem Vaivodam sibi illatis, poenas in igne et gladio durissimas, quas posset, exigeret et quam amarissime ulciscereturt. — Bassa igitur omni sibi commissa cum gente secus castrum Kysnycapol (Nicopolim minorem) Danubium nautarum officio traiiciens, in magno suorum agminum fremitu, cunctum transalpinum agrum pervagatus est, ac omne, quod ipsum per fugae remedium declinare nequivit, aut in praedam, aut in cadaver redegit. Post haec alpes transcendere, iniunctamque sibi per suum caesarem servitutem exsequi aggressus est. — Dominus vero Joannes Vaivoda, quam suae defensioni commissae plebis depopulationem videre, mori potius paratus, praecedentibus animatus victoriis,

armorum praesidiis et militari manu adunatis, invadere potius hostem, quam invadi ab illo, praeoptans viribus et numero impar, illarum partium usque ad extremum persecutus est illum. Quum autem ad locum, qui Vaskapu dicitur, exstitit ventum; arduum magnumque et cunctis saeculis memorabile, in multo clangore hinc inde resonantium tubarum, cum illo bellum commisit — mori aut vivere intentus, omnino fugae immemor erat. Fervet igitur bellum ex utraque parte asperrimum, caedes fit maxima; multi cadunt hoste ex utroque, sed multo plures ex Turcis: qua propter Bassa et Turci campum deserere et subitae se committere fugae sunt coacti. Insequebantur illos Hungari et cunctos ad quos pervenire poterant, moribunda in cadavera redigebant. — — Dominus siquidem Joannes fusis tot hostium millibus multisque illorum maioribus captivatis, amplo thesauro et omni pretiosa exercitus eorum supellectili in praedam conversis, vir magnificus, digno laudum praeconio omne per aevum recolendus, bello fortitar suscepto, prudenter administrato, felicissime gesto et confecto, memorabilem victoriam reportavit; seque exhinc non solum regnicolis, verum etiam nationibus exteris, sincerae dilectionis affectu exhibueret toto corde amandum.“ — Illustrem hanc victoriam Ladislaus etiam Posthumus in litteris supra laudatis hunc in modum extollit: „Quibus peractis extante adhuc satis recenti huiusmodi felicium rerum fama, huic viro meritissimo ex his illustribus principibus illustrior et longe excellentior digna laude per omne aevum celebrandus alterius victoriae titulus accessit; dum enim Teucrorum Dominus hunc supra tactum suorum interitum indigne ferens, et totis viribus ulcisci desiderans, magnum suae poten-

tiae undique coactum robur, nec non octuaginta millia hominum, prout de hoc certa relatione edocti sumus, sub conductu Bassae, sui videlicet principalis vices gerentis, armis et numero instruxisset; ipseque Bassa huiusmodi atrocem et acerbae ultionis minacem exercitum in primis per partes transalpinas ductaret, ea quoque fere tota vastata, amplissimam hominum et rerum praedam referret, intendens dehinc e vestigio in praedictas partes nostras transilvanas vastator succedere; praetactus Joannes Vaivoda aggregatis, quibus potuit, gentibus, inimicam multitudinem, longe et impar numero ad usque illarum partium extrema persecutus, vel vincendum vel moriendum statuit; hic vero suas artes, fortitudinem et bellicam industriam cernere erat, invadere enim hostem, quam invadi satius ducens, arduum et magnum ac suorum viribus longe impar bellum fortiter suscepit; quo prudenter administrato, felicissimeque gesto et confecto, aeterna laude memorabilem victoriam reportavit; in qua re et antiqua gentis Hungariae gloria, famaque reddita est, et suum nomen omnibus in locis eo facto maxime celebratum eximii cuiusdam triumphi speciem exhibuit: fusa enim innumerabilis multitudo hostium, moribundis longe lateque cadaveribus amplissimum certaminis campum tabefecit, indelebilem cunctis saeculis miserandae suae cladis historiam relinquens, innumerabilibus ibidem hostium maioribus in captivitatem redactis, amplissimisque thesauris et omni pretiosa exercitus supellectili in praedam nostrorum deventis et divisis." Dipl. nro LXII. Ideo Amurates ad pacem petendam coactus.

Anno 1443. aetatis 57. pace insolenter oblata reiecta, idem Joannes de Hunyad theatro belli in hosticum, Bulgariam quippe traducto, victoriarum

primitias ipsemet datis ad collegam officii Nicolaum de Ujlak, Transilvaniae Vaivodam, litteris perscripsit nro XII. Gloriosum vero successum, Ladislaus Posthumus hisce recensuit: „Tot felicibus autem vir magnificus animatus victoriis, alios aliis insignes actus accumulans, grandem et sumptuosissimam tandem egregiorum militum expeditionem coëgit, cum qua regnum Serviae seu Rasciae, et Bulgariae transgressus et usque ad oras Romaniae penetrans, quae omnia Teucrorum Dominus antiquis ab annis occupata tenebat, civitatem Sophiam et quam plures alias civitates, oppida, castra, totasque pene terras illas infidae gentis domicilia, igne et gladio vastavit. In quo quidem progressu crebris, praecipue vero sex praeliis, continuas adeptus victorias, ingenti hostium, hominum et rerum praeda onustum, salvuum reduxit exercitum, infinitis hostium captis banderiis, quae in Ecclesia B. Mariae Virginis Budensis, in sui aeternam laudem per futura saecula pendebunt, utpote tot triumphorum illustrium pulcherrima et praeclara monumenta. Ex quibus secutum est, ut ipse Teucrorum Princeps tremefactus totum regnum Rasciae, cum eiusdem terrae castris, quae antiquitus occupata, quasi huius regni claves, tenebat, manibus illustris Principis Georgii Despoti Rasciae, huius regni membri fidelis, nomine et mandato regni Hungariae recipienti restituit, quae per eum usque ad haec nostrae aetatis tempora pacifice et fideliter possidentur. Rex etiam Bosnae eo respectu ad pristinae obedientiae, quam negaverunt, rediit gremium, in qua hucusque constanter perseverat.“ Totidem fere verbis victorias has promsit Georgius, regni Rasciae Despotus, ad an. 1444. Thuroczius Chron. l. c. cap. XL. Aeneas Sylvius epist. XLIV. et LXXXI. Callimachus

de reb. Wladisl. L. II. p. 145. Dlugossus L. XII. cap. 775. Bonfinius Dec. III. lib. V. Chalcocondylas perinde testatur (apud Stritter Tom. III. p. 719.): „Hungaros traiecto Istro — quocunque se vertissent, omnia in ditionem accepisse, vicos incendisse, etiam Sophiae urbi ignem iniicientes, omnia foede diripuisse; — praemisisse quoque suorum manum haud exiguam — iisdem praecepisse, ut montis angustias — praeoccuparent, et arboribus caesis eos obstruerent; — — Pannones conatos fuisse irrumpere per Thraciam; verum Amuratem castra locasse in monte, qui pertingit usque ad praedictas angustias. — — Chasanes cum exercitu Europae per campum festinabat et Pannones, qui fugam simulabant, persequebatur. Quum autem pactus (delatus) esset ad locum insidiarum et Choniates (Hunyades) tempus esse ratus incurrere in hostem, ex insidiis Turcos invadit cum suis; barbaros multos necarunt et multos vivos ceperunt; plurimi Turci in hoc praelio desiderati sunt. Chatitis, frater Carambes, Priam filius, a Pannonibus captus est: reliqui Turci in fuga capiebantur etc. Cf. Ducam apud Stritter l. c. p. 717. Bellum hoc communiter longum dictum est, ut perhibet Iwanichius Synchronus (apud Schwandt. T. II. pag. 16.) „Duravit enim continue campus prope per sex menses, a medio Augusti usque ad medium Februarii vel paullo minus (an. 1444.); per quod finaliter recuperata est Rascia et Despotus restitutus, in quo sex pugnae habitae sunt notabiles, praeter alias particulares, et ubique, Deo volente, victoria sequebatur. Inter quas duae magnae et quatuor minores ac partiales."

Anno 1444. aetatis 58. pace cum Amurate prae-

cociter confecta, conditionumque haud impletarum iure rupta, in pugnamque decretoriam ad Varnam, Bulgariae oppidum mutata, saluti, vitaeque Regis Vladislai necquicquam consuluit, cavitque; ast incassum. Testes, a partium studio alieni fidem faciunt: Laonicus Chalcocondylas Graecus et Synchronus ait: „Joannes (de Hunyad) quum fugasset Asianum exercitum, accedebat ad regem Wladislaum, eumque diligenter monebat, ut eo loci cum suis militibus subsisteret, nec eos quoquam abire pateretur, ut sibi redeunti in pugnam contra Amurathem, si quid periculosius ingrueret, refugium latissimum, quo se reciperet, esset. Praecepit quoque Wladislao, ut obtestaretur milites, qui secum erant, ne se loco moverent, verum in iisdem vestigiis haerentes exspectarent, donec fuso fugatoque Europaeo exercitu, victor reverteretur, et donec praelium, quod nunc solum cum Januis reliquum esset, conficiat. Haec quum dixisset, confestim accingebatur, ut praelium committeret cum Europae exercitu, qui ad sinistram regis stabat, et manus conferens aliquamdiu pugnabat. Pugnae autem haec facies erat — — cecidit ibidem Carazies, Europae Dux, pannonico gladio transfixus. — — Nunc quid penes Wladislaum, regem Pannonum, acciderit, dicetur: erant apud hunc regem viri complures, qui invidebant Johanni Hunniadi, eiusque virtutem aegris ferebant animis. Videntes igitur, eum pulchre, decenter bellum administrare, et in fugam egisse Asiae exercitum universum, nec non generosissime dimicare contra Europae exercitum, cuius ducem Caraziem nomine peremerat, sic allocuti sunt regem: O Rex, quid hic consistimus et exspectamus Joannem, eique, quasi solus vir sit, permittimus hostes vincere, et reliqua.

omnia perficere? — — — Haec quum audiisset rex adolescens; — — quam citatissimo agmine contendit ad Januas, ubi Amurathes stabat, paratus ad praelium; et fossa munitus exspectabat, quis praelii exitus esset futurus. Pannones adorti sunt peregrinorum coronam, qui et ipsi fortiter inter castra prelium pro Amurathe ciebant. Ibi equus, quo vehebatur Pannonum Rex, securi feritus et pedes vulneratus, corruit unacum sessore. At qui proxime steterant (tantus praelii tumultus erat) non senserunt casum regis. Peregrini (Janicsari) victoria potiuntur, caputque Pannonum regis tulerant ad Amurathem." — — Pannones, quum cederent, regem suum quaeritabant, quum autem comperissent, eum in acie cecidisse et obtruncatum esse, in praelium redeunt, volentes mortui corpus tollere, nec tamen Turcos vincere quiverunt. Hic rumor, ut devenit ad Choniatem, et ad reliquos, qui hunc comitabantur, excesserunt praelio. Retro cedentes et palantes nullo ornatu iter facientes, non ad castra properabant, verum recta ad Istrum contendebant „Choniates et Daci. Etiam Pannones, qui regem secuti sunt, fugam arripuere, cedentes nullo ordine. In hoc discessu interfectus est ab Turcis Julianus Cardinalis, vir optimus." Ducas etiam ita perhibet: „Rex suorum 500 praeter propter stipatus in Turcum equum impellit. Hoc ne committeret, sat hortabatur Jangus (Joannes Hunyadius), cui tamen haud paruit, et propius quum accessisset, letale vulnus equus accipit, sessoremque regulum in caput pronum excutit, cui caput Turcae illico amputarant. Casum statim cognovit Jangus, caput enim hastae praefixum sublime conspicabatur." Apud Stritter P. III. p. 733. Callimachus non absimiliter, natione quidem italus, sed

in aula Polonica plurimum versatus, Laonico et Ducae subscribit: „Hunniades restituto illic praelio, de rege solicitus, cuius iuvenilis animus periculosae audaciae suspicionem faciebat, concitato per confertissimos hostes equo, — invenit eum ad Janicsares, pedestre militum genus penetrasse, ibique pugnantem substitisse; — — ut se retro ageret, obtestabatur; minime de rerum summa desperandum, dicens: quippe adeo raros in acie perivisse, ut iactura vix apparitura esset; si prius, quam superstites fugiendo dissiparentur, ad munitiones et currus se cum suis reciperet. In vita ipsius non modo regna, quibus praeerat, sed universam quoque Europam, Christianumque nomen periclitari. Quum interea nihilominus acriter ille in hostem ferretur, caedem ac fugam, quacunque se verteret, ingentem faciendo; equus ingenti in latus vulnere accepto, praecipitem per armum dextrum effudit. Nec mora, supervenientibus Janicsaris, telorum multitudine non tam confossus est, quam obrutus. Substitit paullisper Hunniadanus, corpus regium, si fieri posset, recuperaturus, sed cum reliquis effusissime diffugientibus, paucos admodum Valachos, qui remanserant, tam multorum impetum secum minime laturos intelligeret; ubi unum et alterum conatum frustrari vidit, haud quaquam nefas ducens superesse aliquem post regis interitum, qui acceptam cladem ulcisci posset, ignominiamque eam delere; ad suos retro se recepit.“ Lib. III. p. 196. Sed ipsemet Dlugossus etiam confitetur per supremum exercitus Capitaneum a temeraria in hostes irruptione — castris desertis inhibitum fuisse, Wladislaum; sed frustra: „Asserunt nonnulli, ait, disciplinae militaris periti, qui bello huiusmodi interfuerunt, Wladislaum Regem cladi,

quae successerat, occasionem propter ea, quod in pugnae ardore Turcos venientes et devictos, longius persequabatur, praebuisse. Si enim modum (ut Hunyadius monuit) in persequendo hoste tenuisset; — referre triumphum et praesentis certaminis gloriam et summam belli perficere, haud incertum erat" l. c. col. 803—812. Quapropter Aen. Sylvius epist. 139. Dlugossum, Hunyadium negligentiae insimulantem, iure redarguit: „Poloni acceptam in praelio cladem Hunyadis vecordiae, atque ignaviae attribuerunt; ipse sua consilia spreta conquestus est." Cf. litteras eius ad Papam nro XXI. — Accedit Thuroczius l. c. cap. XLII.: „Vbi Rex Vladislaus hostilem equitatum fugere, Amurathemque caesarem et castra illius terrore concuti vidit; mox sui capitis pro custodia deputatum movit agmen, Domino Vaivoda et caeteris parte ex altera feroci bello insistentibus, caesaris castra invadere et penitus opprimere aggressus est. — Quum igitur densa peditum venit inter agmina, multitudine illorum simul cuncto suo cum agmine obrutus, pariterque et oppressus, ac ibidem interemtus est; et victis iam debellatisque hostibus, neque sibi quicquam de victoria sperantibus, insperatam praebuit victoriam. Quare Hungari, campo simul et castris eorum hosti relictis, in fugam conversi fuere." Casus huius tragici tempus indicat inscriptio coronensis (apud Schwandtner Tom. I. p. 886.): „1444. Clades ad Warnam, in qua Wladislaus Rex, Julianus Caesarius Card. — interficiuntur. Hunyades vix fuga elabitur 10. Nov."

Anno 1446. aetatis 60. Comitibus Ciliae in ordinem redactis, in Conventu Pestano unanimi consensu Gubernator regni acephali, inter Capitaneos

seu Vicarios septem fluctuantis, generalis constitutus: Paulus Ivanichius testatur apud Schwandtner Tom. II. p. 35.: „Ipsi enim Domini Comites Ciliae, inter alia, quae ipsis imputabantur, statim post obitum quondam Matkonis Bani insurgentes in arma, primum castra episcopatus Zagrabiensis obsederunt et ea occuparunt; demum castrum Szenth-Gywrch, et post castra et bona alia prioratus Auranae, quae erant in Sclavonia, expugnaverunt, ubi etiam circa expugnationem castri Pöhrecz, magnificus quondam Johannes, Sowan dictus (castri Belgrad virtute heroica defensor) frater dicti Matkonis Bani, qui ipsum prioratum tunc tenebat, fuit interemptus etc. Multa etiam damna fuerunt per eos in eodem regno illata etc.“ De Joanne Hunyadio exercitus Capitaneo per ordines regni constituto, auctor Synchronus (Chron. P. IV. cap. XLIV.) notat: „Et bene se gesserat in ista via: nam recuperato prioratu et castris eiusdem, Comitis Ciliae condescenderunt ad satis honestas conditiones pacis.“ Vide litteras Joannes de Hunyad iustificatorias anno 1446. nro XXVII. Tum ait Thuroczius l. c. „Voluebatur annus MCCCCXLVI. Domini, et festum Pentecostes instabat; ipsaque conventione multorum adventu nobilium inundata, ac latas dicti campi Rakos per planities undique diffusa, omnes qui aderant, voto unanimi de regni commoditate, deque eo, quem interim, donec rex Ladislaus, filius regis Alberti, puellus suae aetatis sextum agens annos, mentem ad consilia, manumque ad arma extendere valeret, eiusdem regni in protectorem eligerent, multa cum discretione tractabant. Pendebat totius communitatis ante oculos exactarum per ipsum Dominum Joannem Vaivodam clara memoria rerum; et ideo multis hanc dignitatem in se descendere spe-

rantibus, hanc eandem solus ipse Dominus Vaivoda tulit. Electus est igitur omnium regni et regis negocia tangentium rerum in gubernatorem. Quapropter cuncta Hungarici regni plebs, tali fulta protectore, magnam mox dissoluta in exultationem, alta voce Deo laudes reddebat, campanarumque et tubarum sonus, vicinum per aërem ferebatur, peractamque tantae electionis post gloriam, solis his, qui se hoc honore dignos esse credebant, eodem frustratis, et corde tristi, vultu tamen simulata sub imagine laeto incedentibus, quisque regnicolarum gaudens, propria reversus est in habitacula." Idem professus est Rex Ladislaus: „Quid multa? horum gloria meritorum, harum fama virtutum, cum praefatus Joannes Waivoda non solum regnicolis gratissimus, verum etiam remotis et exteris notus esset, brevi altioris dignitatis sedem ascendit, et quod laudum suarum cumulus est, unaniimi omnium Praelatorum, Baronum et Procerum regni consensu et singulari amore, in nostra absentia et sub nostro nomine totius regni Hungariae praeses factus extitit et gubernator." Dipl. nro LXII. Vide etiam decretum illius nro LXIII.

Anno 1448. aetatis 62. belli contra Amuratem Turcorum Sultanum in campo Merularum proditus patriae secum salutem restituit: „Post haec, inquit Thuroczius Chron. P. IV. cap. XLVII., Dominus Johannes de Hunyad Gubernator, omnes regni res, undecunque emergentes, tanquam impositum suis humeris onus, peroptima discretione gubernabat, regnumque hostili tuebatur ab incursu, nec annis eiusdem Turcis Hungarici agri in offensam ipsorum extendere frameam facultas occurrebat, tandem ter-

tio suae gubernationis anno ipse Dominus Gubernator in virtute bellandi semper magna tentare praesumens, Turcorum Caesarem nova armorum expeditione aggredi cogitavit. Conflavit igitur magnam militum manum et omne, quod in Hungaria in armis potens erat, unam redegit in expeditionem ac castris bellicis, machinarum, pyxidum ac aliorum tormentorum, hostem ferientium, ingeniis munitus et refertus, primum autumni circa mensem supra castrum Zewerini Danubium transiit et regnum Rasciae eo, quod Dominus illius, expeditionem ad eandem vocatus, non accesserat, severo incursu pertransiens, hostiles se gessit in terras, illasque in igne et ferro domitabat, et non tantum ut praedam acturus, sed ut regnum occupaturus transibat. Comitabantur D. Gubernatorem viri in regno potentes, sanguineque et vicorum possessione praeclari: Dominus Emericus de Pelsewcz, Vaivoda Transilvanus, Ladislaus frater eiusdem, Emericus, filius Vaivoda Marczaly, Janitorum regalium Magister, Raynoldus de Rozgon, Thomas de Zeech, Franko de Thallóch, regnorum Dalmatiae et Croatiae Banus; Joannes Zekel, D. Gubernatoris consanguineus; Benedictus de Losoncz, Stephanus filius Bani de Alsó-Lindva et alii quam plures, virtute militari perspicui, audacesque in bello, multis armorum praesidiis insignes. — Instabant medii mensis Octobris dies, quum Hungarorum castra, Rasciani agri transvecta per oras, Bulgariae, caesari Turcorum subiectas terras attigerant et in exspectando hoste in campo merulae, quod Hungarico idiomate Rigó-Mezeje vocatur, fida manebant. — Ventum est tandem ad feriam quintam, festa, quae sanctorum Galli Confessoris et Lucae Evangel. mediabat, cum caesar

ipse Turcorum veniens, a castris Dom. Gubernatoris suum non remote posuit hospitium — — Et quamvis Hungaris hostem, plusquam 200 armatorum millibus tumentem, 24 vel paulo plus millium pugnatorum in brachio sustinere impar et onerosum fuerit. — — nox ipsa superveniens furorem simul et arma partis utriusque suis diremit umbris, tota nocte machinis et ingeniis extitit decertatum. — Postquam autem immediate adveniens sabbathi dies orientis solis per radios illustratus est; uterque hostis, hesterno furore tumidus, ordinatis aciebus, rursus prosiluit in campum, concurritur de novo et durissimum ex utraque parte bellum committitur; — in magno quoque tumultu sextam eiusdem diei usque horam decertatur. Inter haec caesar Turcorum, dum milite Hungarico, admodum pauco, fessoque sua agmina turbari vidit; omnem suae gentis multitudinem movit, et in magna rabie super acies Hungarorum irruit, — obruit eos, ac castra eorum evertens inscios fugere ad fugam coëgit. Fugiebat quisque, nec in fugiendo quisquam ordo servatus. Persecuti eos sunt Turci magna cum atrocitate, donec sol occidens demersus est in oris. Sed post haec non minus acerba Hungaris successit persecutio. Nam dietenus fugientibus Rasciani, quos in introitu offenderant, occurrentes, eosdemque itinere fessos, omnibusque armorum praesidiis nudatos, velut a lupis territas oves, omni absque miseratione spoliabant, trucidabant et perimebant." Cap. XLVII. Ceciderunt bello in hoc Domini supradicti. Emericus de Pelsöcz, Ladislaus, frater eiusdem; Emericus, filius Vaivodae de Marczaly, Thomas de Zeech, Franco Banus, Johannes Zekel, Benedictus de Losoncz et Stephanus filius Bani de Alsó-Lindva et quasi cuncta regni Hun-

gariae militia extincta est. — Dominus Gubernator quum in celeri cursu sui equi tanta in belli confusione procul a campo certaminis elongasset, omnique milite desertas, tutricibus depositis armis errabundus per devia ferretur, duorum Turcorum incidit in manus — quorum ratione crucis e collo ipsius pendentis, mutuo luctantium, uno caeso, altero fugato liberatus, a quodam Rasciano non Nandoralbam quo petiit, sed ad castrum Zendrew deductus est. Postquam autem Georgio Despoto Dominum Gubernatorem sui castri intra portas esse innotuit, immemor, quod virtus et opera hominis huius ipsum, paucos tunc praeteritos ante annos expulsionis calamitate affectum, suo in regno novum effecerat dominum, ingratitudinis ductus vitio, ingratum se illi exhibuit hospitem. Detineri enim illum iussit, nec eum Hungariae Dominis, pro illius liberatione sollicite laborantibus, restituit; donec idem Dom. Gubernator, filium suum Ladislaum natu maiorem erga manus illius sua in persona pro obside locavit." Cf. Chalcon. apud Stritter Tom. III. p. 747. Bonf. Dec. III. lib. VII. Dlugossum L. XIII. col. 48. sqq. — Confirmat Ladislaus Posthumus: „In quo quidem gubernatoris officio, quam iuste, integre, fortiterque regnum illud nostro nomine administrarit, tenuerit, quantave diligentia in tutando regno usus fuerit, fidem faciunt fortia sua acta, tam adversus Teucros, quam intrinsecae guerrae sopitos auctores et praesertim acta alia, quaedam fortissima praelia, tandem grandi gentium numero, sumtuosissima inpensa coacto, cum ipsius Teucrorum Principis persona et tota sua potentia, in propriaque terra ipsius media, magnanimi strenuitate peregit. In quibus, etsi occulto Dei iudicio, qui solus novit, cur per

saepe fideles suos in conculcationem blasphemorum sancti nominis sui exponat, fortuna suae parti novercata fuerit, et plures egregii milites occubuerint, dupplum tamen damni semper refudit hostibus, cruenta eis in omni actu victoria derelicta, nec caesi nostri hoc loco periclitandas sortiti sunt exequias, quae etsi optabilius fuissent in patria, speciosius tamen pro patria factae extiterunt. Laudibus etiam huius viri non immerito addici potest, quod in his adversorum casuum vicibus, inter ipsa quoque discrimina, in quibus non solum carissimos plures et fratres, et amicos, et familiares sibi belli calamitate raptos amisit, sed etiam proprii sanguinis multum effudit, sibi animum defuisse, aut fortitudinem lassatam esse, nunquam potuit visum iri; quin imo vir fortissimus magnanimum, excelsumque maxime mentis conservans vigorem, sua prudentia de captivitate, quam in ultimo dictorum duorum praeliorum inciderat, libertati restitutus, patriae secum salutem restituit." Diplom. nro LXII. Vide etiam ipsiusmet litteras nro XLVIII.

Anno 1452. aetatis 64. regno Hungariae non externis solum malis erepto, sed et interna quiete composito, gubernium Ladislao regi tradit possessionibus ac perpetuo Bistricensi Comitatu donatus: „Inter haec, ait Thuroczius l. c. cap. V. quum Romanorum Rex Fridericus Regem Ladislaum suis regnicolis, pacato animo sibi reddi petentibus, dimittere negaret, mox nonnulli regnorum eiusdem regis Ladislai primores et Comes Ciliae Vlricus cum illis, minacibus armis et militibus, ad inferendas iniurias promtis, magna in copia coadunatis, civitatem novam (W. Neustadt) et ipsum regem Romanorum in

illa, molesta circumquaque obsidione cinxerunt. — Quapropter ipse Romanorum Rex, tum metu, tum penuria victualium admodum laborans, regem Ladislaum suorum regnorum proceribus reddere est coactus. Reductus igitur puer princeps, in castri Viennensis conversabatur palatiis. Multi ad illum confluebant tum de suis, tum de alienis regnis Nobiles. — Conventum ergo fuit, ut et Dom. Gubernator, regnique Domini et Magnates cuncti ad exhibendos puero regi condignos honores, fidelitatisque homagium praestandum illuc irent. — — Vbi et Dominus Gubernator onus sui officii, quod iam octo per annos felici gestamine direxerat, sponte exuit et MCCCCLII. instante Domini anno regnum Hungariae, sanguinolentis suis suorumque laboribus, omni industria, sollicitudine et bellicis artibus praeservatum, regi Ladislao restituit. Propter quod ipse rex Ladislaus ipsum Dominum Gubernatorem, exactarum victoriarum longus orbis per partes diffusis inclitis praeconiis, praestantiumque operam laude dignis meritis erga se commendatum, albo in fano, regali quoque in habitu et Maiestatis suae in throno sedens, assistentibus sibi quam pluribus ducibus, marchionibus ac regnorum suorum praelatis et baronibus, magna cum solemnitate, in Comitem perpetuum Bistricensem sublimavit et temporalem gubernationis dignitatem praedictam, quam usque tunc suis meritis et regni necessitate exigente tenuerat, in perpetuam commutavit haereditatem. Armorum quoque insigniis, puta corvo, gestamine annuli de colore flaveo in clypeo depicto, quae ipse Dominus Comes usque ad tunc gestaverat, alia clara insignia rubeum scilicet leonem, coronam unguibus rapere volentem, albo in scuto descriptum superaddidit, et

maioris excellentiae et dignitatis pro honore eumdem Domin. Comitem Bistricensem insigniis eisdem adornavit. Peractis tandem magno cum gaudio cunctis ipsius sublimationis ceremoniis, idem rex Ladislaus eumdem Dominum Comitem multis muneribus et donariis regali largitate honoratum, unacum caeteris Dominis Praelatis et Baronibus paucos post dies remisit in Hungariam." — Idem perhibet Ladislaus rex: „Nec solum externis malis hoc regnum eripuit, sed et interna quiete composita effecit, ut tota natio et respublica regni nostri Hungariae, submotis, sublatisque civilibus bellis et internis turbinibus, quo paulo ante aut voluntates et mentes eius generis a sese destinxerint, unione invicem iurata, nos Dominum suum naturalem genitoris et avi regum suorum successorem et haeredem regem declaraverit, susceperit et recognoverit, sicque praefatus Joannes Gubernator regnum illud nobis et sub nomine nostro constanti fidelitate tenuit, atque in hac constantia etiam innumeris bellorum morbis adversantibus, perservavit. Postremo regnum ipsum Hungariae, confinibus suis, dudum amissis, recuperatis, magis auctum, magisque a parte infidelium Teucrorum, quam temporibus dictorum avi et patris nostri regum tenebatur, dilatatum, Maiestati nostrae fideliter restituit, votiva pacis tranquillitate gubernandum, quod quidem ut apertius confiteamur, vel sola vel maxima eius industria, sollicitudine et bellicis artibus sequutum est. Vt igitur vir tot inclitorum operum merito praestantissimus, cui nullus honos, nisi meritus referri potest, et qui in tot praeclaris actibus multum sanguinis sui et suorum effudit, gratam sibi Maiestatem nostram praesentiat, exnunc aliquas benevolentiae nostrae videat primitias, in futurum maio-

res experturus: castra nostra Gergen etc., tum Comitatum Bistriciae iure perpetuo, cum insigni corona aucto eidem confert. Dipl. nro LXIII.

Anno 1456. aetatis 71. relata de Turcis victoria. Begrado periclitanti succurrit, Turcas navali praelio profligat, castris exuit, Belgradum obsidione liberat, ac pie obit: „Morabatur rex Ladislaus in castro Budensi et annus Dom. MCCCCLVI. voluebatur, quum caesarem Turcorum Mahumetem regno Hungariae invasionem minari et quam primum castrum Nandoralbense expugnare velle, auditum est. Haec fama non solum Hungariae plebem, verum etiam cunctas vicinas regiones et quasi omnem Christianitatem magnas involvit in curas, et cogitationes. Constantinopolitanae enim urbis truculenta expugnatio totius catholicae plebis ferebatur ante oculos, cunctisque terrori non modico erat. Ipse siquidem caesar Turcorum habita in Graecis victoria, quasi alium hominem indutus, ambitione et superbia altiori tumescens, magni quondam Alexandri Macedonum triumphalia ad ipsum rediisse tempora arbitrabatur. Fertur enim dixisse: Vnus Deus dominatur in coelis; competens est, ut unus tantum princeps dominetur terrae. Hi rumores quum ad regem Ladislaum delati sunt, mox iuvenis princeps intime expavit, et Comes Vlricus, Almanico qui ducebatur bellicae virtutis animo, quique suis regem consiliis dirigebat, non minus turbatus est. Non ergo de regni tutela tractarunt, et nec ad obviandum hosti arma pararunt, sed velut rumorum ignari, unius noctis sub tenebris Budensi de castro exeuntes, in Viennensem civitatem via immorata se contulerunt. — Tonabant die noctequé crebrius excussae machinae ac terribiles illarum to-

nitus usque ad civitatem Szegediensem et aliis circumquaque, plusquam ad XXIV. milliaria audiebantur. — Obsessi, intima mortis formidine perculsi diem tantum exspectabant extremum. Cunctas regni per partes tam acerbae, tamque potentis obsidionis fama ferebatur; Hungariae tamen Domini, quadam desidia, quasi gravi somno laborantes, periturae arci armorum auxilium ferebant minime. Adiit tandem hoc tremendum obsidionis genus, vir innatae virtutis et militiae, Dominus Com. Bistricensis supradictus modico ad decertandum cum tanto hoste stipatus milite. Confluunt hungaricae plurimae per Joannem de Capistrano cruce signatae gentes, pro Christi nomine pugnaturae, et a partibus polonicalibus cruciferi quasi 300 venere. Quapropter ipse Dominus Comes quamvis, ut supradictum est, cura gubernationis exutus, tamen asueta in illo agente strenuitatis virtute, sustinere non valuit, quin hostem adoriretur. Viam ergo quaesivit (Hunyadius) qua hostium naves a decursu fluminum removere, obsidioneque laborantibus armorum praesidium ferre posset. — Acerrimum committitur cum navibus adversis bellum — tandem longum post laborem vicerunt Hungari. — Navali in certamine gloriam victoriae adeptus, mox castrum adiit, et capitaneos illius iam morte consternatos et praeter mortem nullam aliam sortem exspectantes consolatus est. — Firmavit insuper castrum novo milite, cruce signatam gentem plurimam in illud introduxit; et quum ea popularis esset conditionis, armaque vertere esset ignara, Dom. Comes et illos, in quantum potuit belli adaptavit. — — Quum iam nobilium culmina turrium deiecta, moeniaque in magna parte humotenus prostrata, iacerent, ac valles et fossae castri repletae et terrae adaequatae

essent, ita ut hostis irruptioni nil penitus obstaret, et quintus decimus dies praefatae obsidionis eluxisset, mox caesar ipse, adhuc rutilante aurora, cunctam gentis suae multitudinem, pulsantium tympanorum, tubarumque, hinc inde resonantium in voce commovit, furiosoque in impetu idem castrum aggressus est, ac cruentam per caedem illius penetravit in medium. — — Dominus vero Comes Bistricensis hic minis, hic, ut pugnarent, instabat monitis. Michael quoque Szilagyi Capitaneus et Ladislaus de Kanisa iuvenes militari virtute praestantes, et acies armatorum, quos Dom. Comes adduxerat cum illis, nec non et agmina cruce signatorum, dirutis stantes castri in parietibus, atrociter pugnabant. — Funebre renovatur certamen. — Nec abest auxilium Dei. Nam mox cuncta Turcarum agmina tam fortem, tamque animosum Hungarorum per impetum turbata, versa sunt in fugam. Hungari ergo, animositate resumta et quasi novo potentiae spiritu coelitus adiuti, in ore gladii persecuti sunt illos tamdiu, donec cunctae machinae, caeteraque tormenta, per illos castri ad ruinam adhibita suorum sunt nudata custodiis. — Nec diei durante luce cessatum est a bello, sed illud, quod prius castri arctis in plateis agebatur, lato postea in campo interim, donec nox superveniens utrumque hostem sua disiunxit caligine, multa cum severitate extitit continuatum. Qualiter autem caesar ipse, profundis eiusdem noctis sub tenebris castro de sub eodem fuga lapsus sit, pro comperto habet dicere nemo etc. Ita Thuroczius l. c. cap. LV. Consonant Taliacatius, ipsius pugnae spectator Ann. Pray P. III. pag. 172. sqq. Laconicus apud Stritter l. c. p. 754. sqq. Dlugossus l. c. col. 486—188. Bonfinius Dec. epistolae Joannis Capistrani ad Calli-

stum III. apud Pray l. c. p. 181. Tum ipsiusmet ad regem Ladislaum et Dionysium Cardinalem; ut sub numeris LXXIV—LXXV.

An. 1456. aetatis 71—2. pia morte obit: „Post haec, inquit Thuroczius l. c. LVI., Dominus Comes Bistricensis, qui tot tantosque suae iuventutis primaevo a tempore bellorum exegerat labores, nondum senectutis demolitus aetate, sed continuo armorum gestamine, curarumque directione fatigatus et viribus exhaustus, ibidem (Belgradi) aegrotavit, paucisque diebus ipsa aegritudine laborans tandem in oppidum Zemlin delatus, in recommendatione praefati Fr. Joannis de Capistrano, viri Dei, suo salvatori suum restituit spiritum. Oritur ergo planctus magnus omnem per Hungariam, et quasi cuncta Christianitas nimio dolore turbata est, dum suum propugnatorem vita functum esse audivit. — Cuius tandem corpus ubere suorum in fletu ad Albam Transilvaniensem delatum, honorifice exstitit tumulatum. Obiit autem ipse Dominus Comes Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto anno, virgine suo aethereo solem hospitante in cubili. — Erat quidem Dominus Comes homo mediocris staturae, magnae cervicis, crisporum crinium, colorem nucum castanearum servantium, magnorum oculorum, sereni intuitus, rubicundae faciei et in caeteris suis membris tam competenter, tamque ornate dispositus, ut inter mille eius principalis agnosceretur persona. — Laconicus, Scriptor Graecus, peraeque Synchronus (apud Stritter Tom. III. p. 760.) ait: „Joannes non diu post fugam regis (Mahometis) vivens, defunctus est, quum exstitisset vir optimus, qui ex humili loco ad maximam conscendit poten-

tiam, memorabilia designans facinora contra Germanos et Bohemos, et in gubernium Pannonum succedens, maxima florebat gloria. Praeterea praeclare rem gessit adversus Turcos, qui putabantur, nisi copiis maximis et virtute superari haud posse. Pannonum gubernium, nec non exercitum eorum, ipse suscepit. Quum autem ei inviderent reliqui Pannoniae Principes, nec eius imperia capesserent, tamen brevi effectum est, ut gubernium retineret, quum etiam alii illi invidi confiterentur, regimen esse isti viro committendum, quod non cessaret firmissimum et tutissimum praestare. Apparet autem, virum hunc, quaecunque aggressus est, effecisse, usum et diligentia singulari et celeritate. Praeterea, quod ubicunque occasio affulsisset, continuo praesto fuerit. Sunt qui tradunt, hunc virum peste infectum obiisse." Jo. Capistranus epistola ad Callistum III. Papam (apud Wadding ad an. 1456.) „Et si vero ita placuerit Altissimo, quod de medio sustulerit a nobis illum illustrissimae memoriae pugilem invictum, sanctae fidei catholicae hostibus formidabilem, defensorem, Dominum Joannem de Hunyad ex hac vita iam elapsum XI. mensis huius ex peste. — Datum Szalankemen 17. Augusti An. 1456." Dlugossus Lib. XIII. vol. 190.: „Johannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, morte absumtus est, vir in armis et administratione bellorum, eorum praecipue, quae contra Turcos pro Catholicis gerebat, celebris et magni pretii; cuius mors non solum regno Hungariae, sed et universo catholico orbi pro illa tempestate damnosa fuit: quum nemo inter Principes et Barones Hungariae exstaret, qui animosius bellum contra Turcos gereret." Aeneas Sylvius, alias Hunyadio non satis aequus, epistola ad Cardinalem S.

Ang. apud Pray l. c. p. 117.: „Doleo obiisse inclitum christiani exercitus ducem, Vaivodam, sive ut aiunt, Hunyadem: nam morte ipsius spes quoque nostra interiisse videtur.“ Annonymus ex cruciatorum numero, apud Bernardum Petz Thesaur. anecd. Tom. II. P. III. „Dicamque de homine illo armato, magnifico Joanne de Hunyad, Comite Bistricensi, regni Hungariae Gubernatore. Quantis, credis, ille suis *diebus* fulserit victoriis? quantis contra infideles concertaverit bellis? Dispositio enim et campestria contra Saracenos et Asianos, quomodo firmanda erant, ipso melius nemo scivit. Terror erat infidelium, Italia et Asia, plus in hoc tibi testimonium sunt, quam aedes nostrae. Rapuit etiam eum hoc anno ab humanis nostris obtutibus ipsa mors atrox.“

Cum facta Joannis de Hunyad singula, obitum usque, nativitatis anno 1386. praeprimis congruant; ultra proin eum natales illius nec retrahi, nec protrahi ex aequo possunt.

6.) Filios habuit duos, teste Thuroczio (Chron. P. IV. cap. LVI.): „Duo, inquit, ei erant nati, ad quos non modico desiderio cuncta respiciebat Hungaria, Paterna enim merita hos quemque amare cogebant, et non minus virtutem, naturamque paternam in hos descendere spectabant.“ „Horum in ordine geniturae maior Ladislaus vocabatur, genitori haud dissimilis, virtute quoque militari et morum honestate, liberalitatisque humanitate iuvenis cunctos suos inter coaetaneos praestantissimus. Junior vero Mathias, paternae sublationis in diebus nondum annis solutus erat de puerilibus. Hunc genitor, dum vivebat, intimo cordis amore amplexabatur; hunc

et aetatis suae agilitas, omnium in oculis commendabat; cunctique illum intuentes magnum eum hominem futurum praesagiebant." Conf. Aeneam Sylvium nro XXII.

7.) Patruos eiusdem Joannis de Hunyad, Magas et Radul, alterum Radul patruelem, condivisionales ex Sigismundi donationalibus anni 1409. comperimus: „Possessionem nostram regalem, Hunyadwar vocatam, memorato militi Voyk, et per eum Magas et Radul carnalibus, ac Radul patrueli fratribus, nec non Joanni filio suis ipsorum haeredibus contulimus." Dipl. nro I. — Joanni nostro fratrem cognominem fuisse, novimus e donationalibus Alberti R. H. anno 1449.: Joannes et alter Joannes, uterque filii Olah de Hunyad." — Tum e Wladislai anno 1440.: „Vtrique Joanni, filiis quondam Woyk de Hunyad." E Ladislai Posthumi de anno 1453.: „Ipse et egregius quondam alter Joannes de ipsa Hunyad, miles sibi sanguine frater, fortissimaque strenuitate par et socius." Ex ipsiusmet item fundationalibus de A. 1442. „Inbuitu nostrae salutis et quondam egregii Joannis minoris de Hunyad, militis militum, fratris nostri carissimi, in actu reipublicae in partibus Transilvanis defuncti et in praedicta Ecclesia (Albensi) Beati Michaelis Archang. tumulati, animae refrigerio." Ex ipso etiam epitaphio: „Miles vocatus frater gubernatoris sit iunctus coelicis choris anno MCDXLIV. de Hunyad." Apud Benkő Transilv. — Patruéles condivisionales memorat ipsemet litteris anno 1448. „Dicit nobis egregius Voyk de Chionok (Cholnok), frater noster condivisionalis, in sua et Ladislai et Sandrini, filiorum suorum, nec non Daan, filii Ladizló de dicto Chionok, personis." — Consanguinea

eiusdem perhibentur: „Joannes Zekel, Domini Gubernatoris consanguineus, — in campo Merularum anno 1448. cecidit" ait Thuroczius l. c. cap. XLVI —XLVII. De quo notaverat Istvanfius in margine ad Thuroczium: „Joannes Zekel: huic nomen fuit secula, sic a valachis et tracibus vocabatur, iam Hunyad ab Hungaris; ei dextra manus detruncata fuit, et iacet in Alba Transilvaniae sepultus." Epitaphium ipsius sic sonat: „Hic est tumulatus iohes miles minor de hunyad vocatus frater eius." Apud eundem Benkő l. c. — Sororem unam eiusdem uterinam notificavit Nicolaus Olahus praelaudatus, dum ait: „Joannis Hunyadis, Vaivodae Transilvani, postea vero gubernatoris Hungariae tempestate, Manzillae ab Argyes ex uxore Marina, eiusdem Joannis Vaivodae sorore, duo erant inter alios filii: uni nomen fuerat Stanzul, qui Danum et Petrum filios suscepit, alteri Stoyan, hoc est Stephanus. Is me etc. genuit" l. c. Alteram commemorat Chalcocondylas, viduam, post Joannis, ut videtur, Zekel obitum, Joanni Gyskra in coniugium oblatam: unde eiusdem Johannis Zekel consanguinitas explicanda. Meminit etiam patruelium l. c. p. 741. — Per matrem Elisabetham, Michaelis Szilágyii sororem, cognatum nactus fuit magnificum Joannem Pongracz de Dengeleg, Vaivodam Transilvanum, ut docent litterae Conventus Cruciferorum de Alba anni 1517.: „Olim magnifici Joannis Pongracz de Dengeleg, Vaivodae Transilvani, et Siculorum Comitis, avunculi scilicet condam Domini Mathiae regis Hungariae." — Comitem Georgium Magnavich Nissensem, consanguineum charissimum, litteris anni 1448. sensu, ut videtur, lato, quo etiam Nicolaum de Ujlak Vaivodam appellavit fratrem charissi-

mum, anno 1443. Cum Ladislao de Gara, regni Palatino, atque Vlrico Comite Ciliensi filiabus horum filiis suis disponsatis affinitatem; cum Georgio Serviae ac Stephano Thomasovich Bosniae despotis, cum Joanne Giskra partium superiorum regni, Pancratio item de Szakolcza, alias de Szent-Miklós Capitaneis foederatam unionem contraxit. — Vide ad an. 1444. 1448. 1451.

V. Rationes adversariorum circa genus et incunabula Joannis de Hunyad, regni Hungariae Gubernatoris.

1.) Patrem herois nostri Buthum aut Budum fuisse, Antonius Bonfinius l. c. auctor est; ast contra expressa diplomatum ac scriptorum coaevorum testimonia, qui nomen hoc ignorant, ac Voykum et Olahum norunt duntaxat: Dipl. I. II. et III. Thuroczius l. c. Caspar Heltay ac Cl. Daniel Cornides Voikio nomen Buth aut Bud addentes, nullo solido nituntur argumento.

2.) Antonius Bonfinius patrem Joannis Gubernatoris Valachum ex insigni Romanorum gente Corvina ortum contendens, Mathiae regi adulatus, eo maiori lapsus est errore: cum ipsemet illum in vico patrimoniali Corvini seu Hollós dicto, natum esse, sit confessus; vicum autem illum Romanae gentis Corvinae coloniam aut possessionem fuisse, haud docuerit. Numi et inscriptiones gentis Corvinae in Transilvania repertae id nequaquam evincunt.

Vicus patrimonialis familiae Hollósianae aut Corvinae denominationi, more vulgari, locum dederit omnino, sed nominis non item decus aut dignitatis Romanae, quemadmodum Ladislaus Posthumus ait: Johannem nostrum, quo plurimi aliena ope et suorum Maiorum titulis irrepserunt, eo suis sudoribus, virtute et ingenio, ac vigiliis ascendisse; posteris ac nascentis nominis decus et dignitatis initium attulisse." Dipl. anni 1453. M. J. David Baierus, sententiam Bonfinii amplexus, auctore decepto, erroris immunis non est.

3.) Cl. Daniel Cornides, in scrutanda regum nostratium genealogia solertissimus ac felicissimus, originem Joannis Hollósi nostratis ab illustri ac vetusta Polonorum familia Korvin dicta, repetens, humani quid passus non minus est: nominis ac scuti gentilis similitudine delusus; cum corvi nigri usus non solum Polonis, sed et Serviis, ut ipsemet meminit, quin aliis quoque gentibus fuerit communis; proprius certe fuit pluribus etiam Germaniae familiis, quas Historia Insignium illustrium, seu operis Heraldici Pars Specialis etc. Auctore Philip. Jacobo Spenero edit. II. Francofurti ad Moenum anno 1717. edita manifestat: „Alias clypeus p. 11. repraesentat insigne Baronum de Neumus in Greiffenfels; in quarto eius laterculo corvus niger coronatus, expansis alis, rostro annulum gerens, conspicitur." Tum ibidem Schifferorum Baronum scutum est transverse secatum, inferiori parte rubea, in superiori autem corvus niger rostro annulum aureum gestans etc. Quemadmodum has, ita etiam Hunyadianam familiam, ob corvini insignis similitudinem, ad Polonicam Korwin referre non licet, eo certius,

quod denominationes domi nostrae a possessionibus non a scutis, usu venerint.

4.) Qui eumdem origine non Valachum, sed Siculum Transilvaniae (Székely) fuisse, contendunt, dupplici pugnant argumento; appellant ad Johannem Szekely de Hunyad, cuius causam egerat Paulus Comes, Curiae regiae Judex, tenore litterarum Capituli Budensis de anno 1331. contra Thomam Zdenczy, inferuntque, Joannem de Hunyad e domestica sicula Hunyadia domo ortum fuisse. Difficultatem hanc egregie solvit Stephan. Kaprinai: dupplicem fuisse et esse in Transilvania possessionem Hunyad vocatam, dicens: „Hunyad oppidum Transilvaniae, a ferri fodinis celebre, cum castro Corvinorum insignia etiamnum ostentante, in Comitatu cognomine situm, et ab Hunnis primis, ut reor, conditoribus ita dictum; hoc illustre nomen Hunyadiis dedit, qui ante adeptam a Sigismundo rege oppidi huius possessionem solum Hollósy, id est Corvini ab Hollós, vicino Valachiae, vel potius Transilvaniae pago, nunc praedio, in eodem Hunyadensi Comitatu sito (si fides amico me monenti) fuerant compellati. Ad discrimen alterius Hunyad, a Banffiis possessoribus Banfi Hunyad vocati, vulgo Vajda-Hnnyad, quod Joannis Vaivodae fuisset, nuncupatur. In hoc oppido gentilitio Elisabetham, Mathiae regis matrem, Patribus divi Francisci, strictoris, ut aiunt observantiae coenobium anno 1465. condidisse memorant Annales Waddingi Tomo XIII. pag. 383. Bánfli Hunyad fuerat a Joanne Székely possessa, altera vero regalis, fuerat Voiko, ac filio ipsius Johanni collata, ut Dipl. nro I. docet. — Vrgent: Literae Comitatuum Zagrab et Varasd ad publicum re-

gni conventum anno 1447. datae dicunt: „Noveritis, quod magnificus Joannes de Zekel de Hunyad, Gubernator regni Hungariae — per eumdem Zekel, sic potentialiter occupatas"; apud Kerchelich Not. Praelim. p. 270. Concluduntve: negari haud posse, Joannem de Hunyad, origine Siculum fuisse. Hanc obiectionem Cl. Stephanus Katona Hist. Crit. Tomo XIII. p. 535. sequentibus solvit: „Litterae hae rite descriptae, non tam contra Johannem de Hunyad, Gubernatorem, quam contra Joannem Székely, Dalmatiae, Croatiae et Dalm. Banum, conceptae sunt, de quo laudatus Kerchelich sic loquitur (ib. p. 280.): „Joannes de Zekel, Gubernatoris Joannis consanguineus, Dalm. Croat. et Sclav. Banus, et Auranae Prior An. 1445. Videtur igitur aliquid omissum esse in titulo, qui sic restitui posset: Magnificus Joannes de Zekel, consanguineus Joannis de Hunyad Gubernatoris", nam et in serie idem Kerchelich duas in Sclavonia factiones fuisse notat (ib. p. 270.) Illi, qui Joanni Hunyad Gubernatori, statibusque Hungariae adhaeserant, in Gara sive Garich reip. quasi suae locum fixerant, sic enim in quodam mandato: Johannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator Johanni, Dalm. Croat. et Sclav. Bano, suisque Comitibus, sacrae corónae fidelibus in Gara constitutis 1447; mandando, ut rebelles praediales Dorotheae de Blagay compescant. — Illi vero Sclavorum, qui Comites Ciliae sequebantur; Zagrabiae suam servaverunt remp. Mutuis saepe caedibus, continuis autem odiis invicem ardebant. Atque haec causa fuerit cur contra Székelyium, alterum Banum, Zagrabienses ad comitia scripserint." — Lectio certe: „Magnificus Joannes de Zekel, de Hunyad, in diplomatibus abnormis et erronea est, nisi Zekelius de Hunyad

ducta Johannis sorore participasset. Si e Comitis Michaelis de Hunyad aut Joannis de Zekel stirpe efflorusisset Gubernator noster, novi hominis et hybridae ignominiam ab Vlrico, Ciliae Comite, non tulisset, nec huic: suae familiae decus ab ipso initium capere, cum illo vero Maiorum gloriam finiri, regessisset; apud Roo l. c. p. 221.

5.) Matrem heroi nostro Bonfinius Graecam dedit et illam ad nobilissimam Theodosii Imperatoris prosapiam referendam duxit, loco praelaudato; sed hunc, qui vili assentandi studio gratiam Mathiae potius regis, quam veritatem, sectatus est, nihil moramur. Alii e domo Palaeologa deducendam perhibent; ast sine omni auctoritate: nec credibile fit, Palaeologos id temporis rerum in oriente potitos, principem foeminam homini obscuro, nulliusque nominis militi contulisse; mirumque foret Scriptores Graecanicos, tunc florentes, factum hoc ignorasse, aut rem notatu dignam, postquam filius eius inclaruit, silentio involuisse. Nec ratio capi potest, unde nihilominus, traditio communis, ipsam Nobilis Valachi (Boyer) Transilvani filiam fuisse manaverit.

6.) Qui natales eiusdem ultra annum 1386 removent, Bonfinii testimonio Dec. III. lib. IV. nituntur, qui ipsum Demetrio Zagrabien. Episcopo, equis duodecim servivisse, meminit, argumento admodum ludicro: cum enim Demetrius annis 1375—9. praefuerit Eccles. Zagrabiensi, eundem ratione hac anno circiter 1356. natum fuisse, ac plusquam centenarium Belgradi obsidionem solvisse, mortemque oppetiisse, opportuisset. Cuius rei insolitae historicorum meminit nemo. Thuroczius vero falsi redarguit ma-

nifeste dicens: erat anno 1456., nondum senectutis demolitus aetate, quum obiit: l. cit. cap. LVI. Ast nec dicit Bonfinius Joannem de Hunyad, sed patrem ipsius apud Demetrium Episcopum Zagrabiensem in ephebis fuisse, ut rite advertit Balth. Kerchelicius l. c. Qui easdem post annum 1392. promovent, Casparis Heltay auctoritate nixi, documentis repugnant non minus Historicis: anno enim illo natus, anno 1448 sexagenario maior, quod de se litteris ad Papam datis innuit, neutiquam fuisset. Quomodo etiam transacto militiae tyrocinio, quod Ladislaus Posthumus litteris anni 1453. testatur, Sigismundum ad suscipiendas infulas imperiales annos 12—5 natus, sequi potuisset? etc.

7.) Qui Joannem de Hunyad humilis et exiguae conditionis natum arguunt, Dlugossi utuntur auctoritate (L. XIII. p. 756); cui tamen contradicit Chalcocondylas apud Stritter Tom. III. p. 714. dicens: „Jangus genere natus erat non admodum obscuro. Patria fuit Choniatae Ardelii oppidum, unde profectus, venit ad Trybalorum (Serviorum) ducem. Mercede autem conductus longo admodum tempore apud hunc ducem versatus est, ubique, quocunque mitteretur, fortitudinem et diligentiam memorabilem ostendens (interposita de lupo capto narratione) subiungit: „Hoc facinore dux delectatus, in haec verba linguam solvit: certe non potest fieri, quin non aliquando vir ille ad maximam promoveatur potentiam. Haec tum temporis locutus, virum deinceps pecunia opibusque fovit. Quum tempore multo apud ducem istum moras traxisset; tandem ad Pannones venit. Sunt qui tradunt, Jangum, antequam perveniret ad Trybalorum ducem, fuisse famulum Aliis, Brenesis

filii, eique in mercede serviisse, quum fungeretur equorum curatoris partibus. Nescio autem, unde coniecturam facere possim, ut id verum esse credam; nam linguam Turcicam eo modo didicisset. Reversus autem ad Pannones, assumtis aliquot aliis, procedebat in regiam, dicens: se advenisse, ut sibi suisque mercedem accipiat, nec repulsam passus est. Quum autem bellum arderet inter Germanos et Pannones, magna militaria edebat opera, praesens semper existens. Vbicunque eius opera desiderabatur, statim approperans, fortissime praeliabatur. Postea congregatis ad eum pluribus aliis, ubique illustris apparebat. Quapropter Ardelii regionis principatus Pannonum ei decretus est." Certe Ladislaus Posthumus e stemmate, corvi nigri ore annulum aureum gestantis scuto insigni, ortum, militisque aulici filium, proin non vilis, non exiguae conditionis fuisse, contestatur litteris anni 1453. saepe laudatis.

VI. Rationes adversariorum circa genus et incunabula Joannis de Hunyad, regni Hungariae Gubernatoris.

1.) Patrem herois nostri Buthum aut Butum fuisse, Antonius Bonfinius l. c. autor est, contra expressa Diplomatum, ac Scriptorum coaevorum, qui nomen hoc ignorant, ac Woyki memorant, testimonia. Dum Caspar Heltay et Daniel Cornides Voiki nomini Buth aut Bud adiungunt, solido neutiquam nituntur fundamento.

2.) Antonius Bonfinius patrem Joannis Gubernatoris Valachum, ex insigni Romanorum gente

Corvina ortum contendit, Mathiae regi adulatus, eo maiori lapsus est errore, cum ipsum in vico patrimoniali Corvino, seu Hollós natum esse, sit confessus; usu autem gentili constet nobiles a possessionibus suis patrimonialibus fuisse compellatos; vicum autem Hollós, Corvinae Romanorum gentis fuisse, aut ab eadem nomen sumsisse, nullis stabiliverit argumentis. — M. Jo. David Bajerus, sententiam Bonfinii amplexus, auctore decepto, erroris immunis non est. Ladislaus certe Posthumus celebrat Joannem nostrum, quo plurimi aliena ope et suorum maiorum titulis irrepserunt, eo suis sudoribus, virtute et ingenio, ac vigiliis ascendisse, ac posteris nascentis nominis decus et dignitatis initium attulisse." Dipl. nro LXIII.

3.) Cl. Daniel Cornides, in scrutanda regum nostratium genealogia solertissimus ac felicissimus, originem eiusdem ab illustri ac vetusta in Polonia familia, Korvin dicta, repetens, humani quid passus non minus est: nominis ac gentilitii scuti, corvi nigri, similitudine delusus: cum eiusdem usus, tam Romanis, quam Serviis quin aliis etiam gentibus, fuerit communis; ut ipsemet meminit; proprius fuit etiam pluribus Germaniae Baronibus, quos Historia insignium illustrium seu operis Heraldici Pars specialis etc. Auctore Ph. Jac. Spenero edit. II. Francofurti ad Moenum 1717. exhibet: „Alius clypeus p. 11. repraesentat insigne Baronum de Neuhauss in Greiffenfels, in quarto eius laterculo corvus niger coronatus expansis alis, rostro annulum gerens, conspicitur." Tum ibidem: Schiferorum Baronum scutum est transverse sectum, inferiori parte rubea, in superiori autem corvus niger rostro annulum

aureum gestans" etc. — Nec fuerat a scutis, sed a possessionibus avitis sumere nomen consuetum. A paritate proin nominis aut scuti ad identitatem ortus argumentari, vitium est.

4.) Qui eundem origine Siculum (Székel) e nobili Hunyadiorum stirpe satum contendunt, oggerunt Joannem Székely de Hunyad, cuius partes egerat Paulus Comes, Judex Curiae regiae, tenore litterarum Capituli Budensis de anno 1331. in causa Thomae Zdenczy, Vaivodae Transilvani; litteras item Comitatuum Zagrab et Varasd ad publicum regni Conventum anno 1447. datas, quae dicunt: Noveritis, quod magnif. Joannes de Zekel de Hunyad, Gubernator regni Hungariae — — tum: per eumdem Zekel sic potentialiter occupatas etc. — Difficultatem hanc Cl. Stephanus Kaprinai rite solvit: dupplicem possessionem fuisse in Transilvania Hunyad nuncupatam: unam Banfi Hunyad, alteram Székely Hunyad; istam ad stirpem Joannis Székely de Hunyad, alteram ad Joannem Gubernatorem pertinuisse, qua propter illum rite de Székel Hunyad dictum; ut Kerchelichius habet: Not. Prael. p. 270. Rem ita digerit: „Hunyad oppidum Transilvaniae, a ferri fodinis celebre, cum castro, Corvinorum insignia etiam num ostentante, in Comitatu cognomine situm, et ab Hunnis primis, ut reor conditoribus, ita dictum, illustre nomen Hunyadiis dedit, qui ante adeptam a Sigismundo rege oppidi huius possessionem solum Hollósii, id est Corvini, ab Hollós vicino Valachiae, vel potius Transilvaniae pago, nunc praedio, in eodem Hunyadiensi Comitatu sito (si fides est amico me admonenti), fuerant compellati. Ad discrimen alterius Hunyad a Banfiis possessoribus

Bánfi — Hunyad vocati, vulgo Vajda — Hunyad, quod Joannis Vaivodae fuisset, nuncupatur. In hoc oppido gentilitio Elisabetham, Mathiae regis matrem, patribus divi Francisci strictioris, ut aiunt observantiae, coenobium anno 1465. condidisse memorant annales Waddingi Tom. XIII. p. 383. edit. Rom." — Si e Comitum Joannis aut Michaelis de Hunyad stirpe effloruisset Gubernator noster, ab Vlrico Comite novus homo vituperatus et ipsemet dicturus haud fuisset, quod suae familiae decus ab ipso initium caperet, cum in illo Maiorum gloria finiretur." de Roo l. c. pag. 221.

5.) Matrem heroi nostro Bonfinius graecam dedit, etiam ad nobilissimam Theodosii Imperatoris prosapiam referendam duxit loco praelaudato: sed hunc, qui vili assentandi studio gratiam Mathiae potius regis, quam veritatem sectatus est, nihil moramur. Alii ex Palaeologa domo deducendam perhibent: ast sine omni auctoritate, nec credibile fit, cum Palaeologi rerum id temporis in oriente potiti fuerint, principem foeminam homini obscuro, nulliusque nominis militi, collocatam per ipsos fuisse, mirumque foret Scriptores Graecanicos, tunc florentes, factum hoc ignorasse, aut rem notatu dignam silentio involvisse. Traditio vulgaris, ut Bonfinius innuit, Nobilis cuiusdam Valachi (Boyer) filiam dixit" l. c. —

6. Qui annum nativitatis illius ultra annum 1392 retrahunt, eo, quod apud Demetrium, Zagrabiensem Episcopum in epheborum numero fuisse a Bonfinio Dec. III. lib. IV. perhibeatur, argumento nituntur ludicro: hoc enim supposito, cum is annis

1375—1379. cathedrae illi praesederit, Joannem nostratem circa annum 1360—4 natum, adeoque ipso Sigismundo quem anno 1368. in lucem editum, constat, natu seniorem, et anno 1456. victoria ad Belgradum relata, prope centenarium denatum fuisse oportebit. Quod omnem fidem superat. Sed et Bonfinius Patrem ipsius, non Joannem filium, dicit rudimenta apud Demetrium Episcopum cepisse, uti recte advertit Kerchelichius loco praecitato. Ast annus nativitatis eiusdem nec infra annum 1395. est removendus: secus enim, ut Ladislaus Posthumus Diplomate anni 1453. refert, Sigismundum ad imperiales infulas suscipiendas anno 1411. Francofurtum comitaturus non fuisset.

7.) Illegitimo thoro, virgine nobili, a Sigismundo rege Hungariae corrupta, Voyko Valacho, dignitatis atque opum exspectatione, coniugio sociata genitum, ceu aemulorum commentum refert ac redarguit Bonfinius Dec. III. lib. IX. circa finem, sequentibus: „Alemanni suapte natura Vngaris infensi, ne Corvino sanguine Mathias ac pater, quemadmodum gentilitia corvi insignia testabantur, natus esse videretur, authore Ciliae olim Comite, fabulam haud quaquam insulsam commentati sunt: Sigismundum, aiunt, in Transilvanis agentem, cum ingenua, venustissimaque Valachi cuiusdam nobilis puella concubuisse; hanc tertio a se mense repetitam, gravidam deprehendisse, donasse magnifice ac symboli loco annulum reliquisse, mandasse, ut quidquid pareret, diligenter aleret, educaretque, educatumque ad se cum symbolo mitteret. Hanc deinde ample dotatam, Valacho haud quaquam ignobili, mox detecto facinore nupsisse, qui ob dotis amplitudinem

et ingenui stupri gloriam, oblatam a puella conditionem minime recusavit. Scitum et elegantem hinc puerum in tempore fuisse editum, quem mater Johannem appellavit. Cum infans in matris gremio iaceret, advolasse corvum et annulum symboli loco datum abstulisse; parentem ingenti dolore correptam, virum subito exorasse, ut corvum insectaretur, et annulum recuperaret, ne pueri spes magna inauspicatae avis rapina perderetur. Virum tandem confosso sagitta corvo, annulum continuo recepisse. Joannem eximiae deinde pulchritudinis adolescentem, materno iussu, ad Sigismundum venisse et ostendisse annulum; recognito regem annulo praediis ac villis eum ample donasse." Tum adiicit: „Quod si vera haec fabula fuisset, quis ambiget Sigismundum, profusissimae prodigalitatis imperatorem, non solum agro, sed regno, cum virili prole caruerit, hunc esse donaturum? Vetustatis cognitionem iis, qui talia fabulantur, livor ademit, quando adolescentis imperium tolerare non poterant. Nesciebant avita adhuc insignia corvum petinere, ne vetustissimi generis indicia deforent; non ficta, non usurpata, non nuper excogitata haec insignia fuere." — Haec quidem recte arguit Bonfinius: nam opes aut dignitates, queis Sigismundus Joannem donasset, nullae: nam Patri Woyko castrum Hunyad militarium servitiorum merito, anno 1409., aequo cum fratribus carnalibus ac patrueli iure, A. 1409. ut sub Nr. I. contulit; ex ordine militari ad Banatum Zewrinensem anno 1439. ab Alberto; ad Praefecturam Transilvaniae ab Wladislao Polono anno 1440. ad Gubernaculum regni a Proceribus anno 1446. fuerat evectus, ab illisque, Georgio item Serviae regulo possessionibus auctus; ut Dipl. nro II. XI.

Certum non minus est, progenitores iam eius insigni corvino usos fuisse, ut fidem facit Diploma Ladislai Posthumi nro LXIII. Cum igitur Joannes heros nostras nullas per se a Sigismundo impetraverit donationes, nullos honorum gradus, impetraturus certe, si ad eum pertinuisset, ipsius ab eodem ortus commentitius est.

8.) Fabulam nihilominus recoxit Caspar Heltai nostras, Scriptor saeculi XVI. una Typographus, in suo Chronico, quod ex Bonfinii Historia compilavit, idiomate patrio capite CXI. mirifice exornatam. — Actum figit ad annum 1392., quo Rex collectis in Transilvania viribus ad exterminandos e Valachia Turcos, ac Nicopolim revindicandam fuerat profectus. Idem a Mathiae Corvini militibus audivisse, et ita rem a Joannis de Hunyad consanguineis narrari, ait. Ast commentum suo in temporum seriem impactu naufragatur, ita etiam Heltaiana sententia: Sigismundus enim anno primum 1394-to desinente fuerat Transilvaniam ingressus, Brassoviae non invico Strigye moratus, Mircheum Transalpinum Vaivodam convenerat; — atque ipso et optimatibus ad clientelam denuo obstrictis, anno 1395. Copias in partes Transalpinas traduxit; Bajazethe, Turcarum Principe, adventus sui fama in adversam Danubii ripam depulso, expugnavit arcem Nicopolim, Turcasque omni ea possessione exegit; e Valachia post obitum duntaxat Mariae reginae, funusque Magno-Varadinum solemni apparatu deductum, Wladislaum Poloniae regem a limitibus Hungariae per Joannem de Kanisa Archi-Episcopum Strigoniensem amotum, initio anni 1396. per Transilvaniam est in Hungariam reversus. Conf. Codicem Dipl. ad annos 1395

—1396. Diplomata Sigismundi de anno 1408. feria sexta post Pascha; item de anno 1401. die 13. Martii, ibidem. — Pacto hoc Johannem anno primum 1395—6. necesse fuisset nasci; nativitas tamen eius ultra annum 1392. removeri neutiquam potest. Jure proin scripsit Ludovicus XI. Galliarum rex ad regem Mathiam: „Ad notabiles infamias contra suum et genitoris sui nomen, aures se nullo modo adhibere potuisse. — — Ea, quae de ipso malignitas ausa est comminisci, alioquin minime verisimilia etiam ratione temporum impossibilia, esse, facile coniiciuntur.“ Vide Epist. Math. Corvini Tyrnaviae anno 1744. de anno 1463. nro LXII. Milites Hunyadiani saeculo medio XVI. haud provixerint, nec facti veritatem noverint.

9.) Fabulam domi, forisque profligatam, non sine impudentia resuscitavit Benkőius, etiam Transilvanus, in sua Transilvaniae Historia, sequentibus rationum momentis: 1.) Ita narrat Transilvania universa: ipsa quoque Hnnyadiana prosapia; ast traditio vulgaris fons fide dignitatis non est, praesertim cum eius origo, traditio Heltaiana infundata, temporum ac locorum adiunctis dissonans, Scriptorum ac Diplomatum testimoniis adversa in patulo est. — Consanguineorum non dictis, sed documentis habenda fides. Traditio vulgi erroribus semper obnoxia. Plebi, quod mirum, verum; Historico, quod fide dignum, probatum. 2.) Nullum praesto esse documentum, quod contrarium evincat: Imo vero adest multiplex: Diploma Sigismundi, castrum Hunyad strenuo militi aulae suae Voik, patri Joannis, anno 1409. conferentis. Consonat Chronicon Thu-

roczii: „Sigismundus, virtutis nomine genitoris militis huius (Joannis) pulsatus, illum partibus de Transalpinis suum traduxisse in dominium, suique regni illum incolam effecisse, et nihilominus digna perpetuaque eumdem munitionis Hunyad possessione dotasse.“ P. IV. cap. XXX. etc. 3.) Vlricus, Comes Ciliae, genus eius caninum dixit: ast hoc neutiquam ex mentis persuasione, secus filio eiusdem Mathiae, Catharinam filiam suam unicam despondisset neutiquam (vide Diploma nro LV.) Insolenti superbia, inerti invidia obcoecatus insidias Johanni Hunyadio struxit, his identidem elusis, in convitia et calumnias erupit, quas de Roo fide digne recenset, concludens: „Joannis Corvini desiderium levabat Ciliensis, qui immortales inimicitias gerens sublatum esse illum dictitabat, per quem steterat hactenus, quo minus Rex Hungariae regni frui potuisset. Gaudebat ille non tam clade Turcorum, quam aemuli morte, iamque gubernatoris munus sibi promittebat. Qua in re ne impediretur, omne odium, quo eumdem, dum viveret, persecutus erat, in eius filios convertit. Id adeo non potuit dissimulare, ut palam aliquando dixerit, brevi se caninum istud genus ex Hungaria profligaturum“ l. c. pag. 224. — Odium et inimicitia aliena sunt a veritate. 4.) Sigismundum sacerrima quaevis matrimonia sua lascivia inquinasse: ast crimen impingendum nemini nisi probatum, ipsum viva iam coniuge Maria excessisse probaverit nemo; Elisabetham Morsinaianam deflorasse, ut credamus, temporis, narrationisque adiuncta vetant. 5.) Joannis Corvini, Mathiae regis nothi, in regem Hungariae eligendi patroni nativitatis eiusdem labem eo diluerant argumento; avum etiam illius illegitimo fuisse thoro progenitum. — Huius in actis electio-

nis, quae Mathiae Corvini obitum subsecuta est, nullum occurrit documentum; si quod occurreret etiam, non plus probaret, quam ignomiam, in ortum Johannis de Hunyad per aemulos coniectam, mentes etiam eorum, qui prosapiae Corvinae patroni fuerant, inquinasse. Probaret ex adverso: electione Elisabethae et Alberti disceptata futuros fuisse Joannis Hunyadii quosdam patronos, si nothus Sigismundi fuisset; cum inventi fuerint nulli, signum est fabellam hanc id temporis confictam necdum fuisse; fidem Mathia regnante necdum invenisse, cum ipsi obscura duntaxat origo, non item illegitima sit obiecta, innuit Bonfinius dicens: „Mathias antiqui sui generis haud inscius, nihil molestius ferre videbatur, quam si quis ex invidis obscuritatem sibi gentis obiecisset, aut barbara nobilitate tumens, citra propriae virtutis merita se praeferre studeret. Non ignorabat, adversarios ignobilitatem sui generis improbasse, vulgo quoque dicere, Valacha ipsum gente oriundum. Nonnullos Hibridam appellasse, quem dissimilis linguae parentes ediderint. Id imprimis citerioris Vngariae Proceres dicere: Valachum regulum non esse ferendum. Fridericum quoque imperatorem iniquissime pati, opulentissimum usque adeo regnum, ab adolescente et peregrino pene rege possideri, et ne coronam redderet, ab infestis nonnullis optimatibus quotidie admoneri.“ — Dec. III. lib. IX. circa finem.

VII. Virtus Joannis de Hunyad insignis.

Ad virtutem Joannis de Hunyad aestimandam, tempora, in quae post Alberti Austrii obitum inciderat, sunt repraesentanda; illa Joannes de Zredna, vulgo Vitézius, sequentibus depinxit: „Si ante oculos, faciemque statuere volueris praesentium temporum conditionem, — palam contueri potes nunc tempora illa, quae olim fatali quodam carmine (Lucani) non descripta mihi, sed magis depicta videntur, in quibus videlicet in primis ferale per regnum iustitium patuit, cunctaque pudoris rumpunt fata moras ac deinde resoluta legum froenis ira ruit, sors incerta vagatur, fertque refertque vices. Jam sane ferri potestas confudit omne ius, manu, legesque et foedera rerum pesti vertit natura tumultu. Tum libertas data odiis, praedaque et hostiles luxum suasere rapinae. Sed proh! nefas, rectius affines, quam hostiles rapinas dixerim, nempe in quibus amica manus, in sua ferox viscera convertitur, cognataeque decertant acies. — Quid pluris? Nemo favoris compos, nemo expers pavoris. Aequata passim vulnera membris vidimus, mensura quoque iuris vis erat, lethalis denique ambitus incanduit. In commune exitium oculo coecultante ruitur. Pauci ultores scelerum, auctores plurimi affluunt. Quassa est fides, quies aegra, dubius sanguis atque, ut veteri proverbio aiunt: certi nihil, nisi frater hostis. — Praeterea, si voles, ut amplius hosce questus prosequar, recte quidem, adhuc sine rubore magis, quam sine moerore hoc quoque adiiciam: iam virtutis usus tepuit, abusus invaluit. Jam rarus menti imperat, iam, inquam, fructus est sceleri, nullum putare scelus. — Durat quippe primo genita tabes,

luesque Hungariae: Livor edax, quo varios ex more iudicii aculeos concrispante, ingenii, animique splendor emarcuit etc. Epis. I. et II. ad Paul. Ivanichium Notarium. Apud Schwandtner Tom. II. p. 10—14.

Magna debuit omnino esse virtus Joannis Hunyadii, hominis novi, quod tali regni statu, tot aliis regni Proceribus potentia, antiquitate generis, gloriaque maiorum illustribus, communi suffragantium voto praelatus, Gubernium regni nactus fuerit, eo certius; quum teste Galeoto Martio de dictis et factis Mathiae R., Cap. XIII. latinae linguae expers fuerit. Qua de causa iuramentum, quod in corpore iuris patrii legimus, idiomate patrio fecerit.

Virtutem eius Bonfinius Decade III. lib. IV. ita depingit: „Vir fuit, in quo magnanimitatem sapientiam fortitudinemque Romanam recognoscere licebat. Aspectu perliberali fuit, ac venerando, militari robore indomitus, cuius mite, praestansque ingenium, nil praeter Romanae dignitatis imaginem referebat. Oculorum et oris venustate praepolluit, mores omni ex parte nobilissimi, ab omnique barbara feritate redemti. Religionis ac iustitiae, item liberalitatis et beneficentiae studiosissimus fuit. Neque deerat amor honestatis et amicitiae cultus, ad obligandos militum animos et promerendam caeterorum gratiam, usque adeo promtus, ut aeque ab omnibus amaretur. Comitate, beneficentia, dissimulationeque callida, sic inimicitias et odia declinavit, ut his officiorum artibus, ad eius dignitatis altitudinem sibi viam compararet, quam ne sperare quidem licuisset. Acer et excelsus viro fuit animus, consilium prudens, calli dumque; cui mos erat nil inconsulto, nil intempe-

stive agere. Nil spes eius appetere videbatur, quod arte, consilioque assequi non auderet. — Joannes igitur Corvinus post caetera, quae summa cum laude munera gesserat, Transilvanam provinciam cum imperio, ob rem optime gestam impetravit, atque hinc facile ad maxima quaequae evectus est."

Magna iustitiae virtute administraverat regnum, eodem teste Bonfinio Dec. III. lib. VII.: „Judiciis integerrime praefuit; in negociis expediendis usque adeo festinus et ardens, item in audiendis in omni genere personarum hominibus patiens et indefessus, ut stans, incedens, equitansque, rogatus ius diceret." Et cum, ut ex verbis Augustini Episcopi Jaurinensis ad Pontificem prolatis apparet (Pray ann. P. III. pag. 103.): „Praefatum regnum Hungariae externis Turcarum bellis miserabiliter devastatum et laceratum, internis factionibus scissum, ut omnes opinantur, nisi magnanimi viri Joannis de Hunyad, eiusdem regni magnifici Gubernatoris, providentia, ac vigilantia conservatum foret, ad ultimum omnium miseriarum perductum crederetur."

Magna non minus in animis dissidentium conciliandis, paceque tutanda Johannis Hunyadii virtus fuerat: „Magna, inquit ad Eugenium Papam epistola XXII., mihi opera opus est, ut digne assurgere valeam, ad agendas gratias Beatitudini Vestrae, quae ex benignitate solita, rebus et successibus meis tam saepe numero collaetari dignum duxit, ea quoque in maiorem semper spei partem interpretari, quae plus oneris mihi, quam honoris quidcunque subducunt. Id genere genus, ipsi Beatitudini Vestrae et nunc maxime ampliare placuit, quandoquidem impositum

mihi gubernationis pondus, favoris potius esse, quam curae congratulando arbitratus est; quamquam non dubitaverit, altis meis laborum cumulis, hoc munere altiores accessisse. — Promptus autem animus est, et voluntas non impar ad exequendum ea, quae Beat. V. hortatur. Pulchra iam unionis et concordiae fundamenta, dono Domini, iacta sunt; restaret superaedificare pacem, quae sola et prima virium populi christiani auctrix esse posset adversus infidelium insultus propellendos. — Mira certe res et divino digna munere: cedunt arma, longo nutrita tempore, silent bella intestina, froenantur dissidia, concordia pedetentim inducitur, sola forensium adhuc insultatorum saevitia minas exaggerat. Ego vero, etsi ista eo modo iam stare conspiciam, minus tamen sperare poteram, tam cito futuram mutationem hanc dexterae excelsi, et ob hoc etiam importunitatibus aliquorum resistere, accomodum necdum putavi, exoptans finaliter favore furorem collidere."

Magna moderationis virtute usum fuisse, quam adeptus fuerat, potentia, gubernium sponte exutum, ac laudibus atque remunerationibus, a rege Ladislao cumulatum, commonstrat; teste Thuroczio l. c. cap. LI.: „Reductus est igitur puer princeps et castri Viennensis conversabatur in palatio. Multi ad eum confluebant tum de suis, tum de alienis regnis, nobiles. — Conventum ergo fuit, ut et Dominus Gubernator, regnique Domini et Magnates cuncti, ad exhibendos illi condignos honores, fidelitatisque homagium praestandum illuc irent. Nec dilatum exstitit, quin omnis dominorum Hungariae pulchritudo in Viennensem civitatem convoluta est. Et ipsa regis curia venerando dominorum coetu fervens, dominis

Hungariae praedictis, cunctos caeterorum eiusdem Ladislai regis regnorum inter primores locum eminentiorem dedit, et rex ipse suos pueriles in illorum aspectione depascens oculos, tantorum magnatum laetabatur de favore; consumti sunt ideo tantae curialitatis in honore dies plurimi, ubi et Dom. Gubernator onus sui officii, quod iam octo per annos felici gestamine direxerat, sponte exuit, et MCDLIII. instante Domini anno, regnum Hungariae sanguinolentis suis, suorumque laboribus, omni industria, sollicitudine et bellicis artibus praeservatum regi Ladislao restituit. Propter quod ipse Ladislaus ipsum Dom. Gubernatorem, exactarum victoriarum longas orbis per oras diffusis inclitis praeconiis, praestantiumque operumlaude dignis meritis erga se commendatum, alto in fano, regali quoque in habitu et Maiestatis suae in throno sedens, assistentibus sibi quam pluribus ducibus, marchionibus ac regnorum suorum praelatis et baronibus, magna cum solemnitate, in comitem perpetuum Bistricensem sublimavit, et temporalis gubernationis dignitatem praedictam, quam usque tunc suis meritis et regni necessitate exigente tenuerat, in perpetuam commutavit haereditatem. Armorum quoque insigniis, puta corvo, gestamine annuli de colore flaveo in clypeo depicto, quae ipse D. Comes usque tunc gestaverat, alia clara insignia, rubeum scilicet leonem, coronam unguibus rapere volentem, albo in scuto descriptum superaddidit, et maioris excellentiae et dignitatis pro honore eumdem D. Comitem Bistriciensem insigniis eisdem adornavit. Peractis tandem magno cum gaudio cunctis ipsius sublimationis ceremoniis, idem rex Ladislaus eumdem Dominum Comitem, multis muneribus et donariis regali largitate honoratum, una-

cum caeteris dominis praelatis et baronibus paucis post dies remisit in Hungariam."

Idem litterae regis Ladislai solemnes palam loquuntur: „Vt igitur erga fidelem nostrum, grate, sincere dilectum spectabilem et magnificum Joannem de Hunyad, pridem huius regni nostri Hungariae Gubernatorem, utpote magnificis virtutibus, multorum illustrium operum nervo, ac magnis meritis plenum et praestantem, in honorem et dignitatem perpetui Comitis Bistricensis sublevatum et praefectum, — ceptum amorem nostrum pluribus et maioribus indiciis continuemus, armorum additamenta, ne abs re per nos facta aut sine virtuoso rerum typo praestita videantur, significationem eorum et causam exprimere non negleximus. Quod enim forma leonis rubri in campo albo in statu et modo supra expresso addita conspicitur; significat antefatum Comitem Johannem superioribus nostrae absentiae temporibus, quibus videlicet post sedatum huius regni disturbium ipse Comes Joannes officium Gubernatoris generalis cum suo honore et onere sustulit, nostro nomine et supportavit, ea omnia, quae pro defensione regni nostri ac nostro iure tuendo opportuna fuere, in sincera fide et sollicitudine, quae sinceritas per colorem album designatur, egit, exercuit et operatus est." Dipl. anno 1453.

Supremum Regni Capitaneum constitutum virtus bellica exterorum non minus, quam domesticorum ore celebrata — extulit: Exterorum: Dlugossus salutat ipsum: „militem animosum et virum in armis magni pretii." Aeneas Sylvius: „Eum, qui primum Hungaros docuerit, quomodo

Turcae acie frangi, superarique debeant." Joannes Capistranus: „Illustrissimae memoriae pugilem, hostibus formidabilem." Callimachus: „Ante omnes priores, suaeque aetatis, magnos viros, rerum militarium, civiliumque artium, peritia memorabilem. — In Hunyadio maior eminebat indoles ad res bellicas. — — Et Turcis quidem magnum de se terrorem incussit, apud suos vero ingentem spem excitavit." Ranzanus in epitome rerum Hung. indice XXVIII.: „Pontificis iussu Cardinalium Senatus ei (Joanni Corvino) magnifice persolvit inferias. Ei solennitati ipse interfui." Orat. ad regem Mathiam ac Beatricem reginam Indice I.: „Adolescentulus ego tunc eram, quum in urbe Florentia et in Eugenii IV. Romani Pontificis curia, Joannis patris tui maximé celebrari nomen audieram; omniumque ore laudes tunc eius efferebantur in coelum propterea, quod ipso Duce christianus exercitus super 40,000 Turcarum interemisset." Ducas: „Joannem de Hunyad, virum audacem, animosum; alterum in re bellica Achillem et Hectorem." Quid multa? Carolus Francorum familiaritate, Alphonsus Aragoniae Rex muneribus ac foedere; Eugenins IV. PP. principis honoribus sunt eum virtutis heroicae respectu dignati. Vide ipsorum litteras.

E domesticis: Joannes de Thurócz: „Joannes de Hunyad, homo bellicosus et ad flectendum arma, dirigendasque res bellicas natus, et sicut piscibus aqua, cervisque umbrosas lustrare silvas, sic illi armorum bellique expeditio vita erat." Rex Ladislaus: „Virtuosa bella plurima suo et suorum sanguine respersa; magno animo et leonina, ut dicere solent, audacia, plerumque confecit, pugnanti

leoni et cruento non indigne assimilatus est." Litt. anno 1453. Tum: „Expeditiones bellicas sive adversus rebelles regni Bohemiae, sive contra Turcos, laudabili semper exitu confecit; nunc prudentis consiliarii, nunc vero strenuissimi militis agens officium." Victorias eius enumerat. litt. anni 1454.

Militaris eiusdem artis et ingenii documenta sunto: ad vincendum aut moriendum, invadere potius hostem quam invadi; omnibus necessariis provide dispositis: „Joannes Vaivoda hostilem sciens conatum, ea, quae ad tantum hostem tractandum pertinebant, componere non neglexit. Congregato enim peroptimo armatorum praesidio, ac ex illo aciebus ordinatis, hostis se hosti obtulit. Fit igitur, magno cum impetu, congressus utriusque hostis. — Izaak ergo Vaivoda Hungaros aut vincere, aut mori praeoptasse videns, mox terga vertit. — Vnde Dominus Joannes Vaivoda et omnis suorum militum coetus secuti sunt illos. — Tandem cum victoria et rerum captarum magna opulentia in castrum Nandoralbense redierunt." Cap. XXXVI. Dividere hostem: „Omnibus, quae belli necessitas exigebat, multa discrétione ordinatis, hostem priori victoria tumidum, suas ad bellum componentem acies, in magna aviditate bellandi aggressus est, et tamquam turbo quidam vehemens, irruit super illum, congressuque in primo omnia illorum agmina perturbavit, ac in varias forti suorum brachio distinxit partes etc. Cap. XXXVII. — Vsus stratagematis: „Munitionem Joannis Izkra in Derenchen habitam obsedit, et cum esset in valle, novo in eandem genere oppugnationis excogitato, vallem ipsam, desubtus eiusdem munitionis, alto aggere recludi faciens, fluvium per eandem vallem

decurrentem altas retorsit in aquas. Cumque illarum diluvium moenia munitionis eiusdem transcenderet, cunctisque in illa existentibus suffocationis mortem minaretur, hi, qui in illa erant, Bohemi, personas in captivitatem et munitionem ipsam in manus Domini Gubernatoris dedere." Cap. XLVIII. — Laon. Chalcocondylas: „Jangus, ut comperit, castra hostium esse poene deserta, praeclarum facinus putabat, si antecedens inopinatus castra opprimeret. — Decsendens itaque cum suis ex monte, impetu invadit Sabatinis castra, defensionibus vacua. Sabatines exire castris, ut proelii potestatem faceret, non poterat. Proinde ad castra defendenda convertitur, quae tamen retinere nequivit, quum violenter Jangus cum Pannonibus irrumperet. Ad fugam itaque inclinat animo toto, festinabatque Istrum transire. Jangus captis castris quosdam in insidiis locat, quibus exciperet hostes advenientes. Et in hunc modum maxima hostilis exercitus pars miserabiliter interiit, Jangusque victoriam sibi peperit celebriorem quam ullam unquam eius antecessores invenerint." Apud Stritter Tom. III. pag. 715. — Audacia generosa: „Ne qua Corvinae virtuti cessatio detur, nunciatur Vlricum Comitem post Varnensem cladem nova moliri, et quadragesimae resipiscentiae tempore universam Croatiam, Slavóniamque infestare, multa in utramque provincia oppida occupasse, et ni provideatur, perbrevi totam Dalmatiam in tyrannidem redacturum. Item a patribus exoratur, ut post caesum Turcam in Vlricum arma deflectat. Corvinus, ne interregni tempore Pannonicae res periclitarentur, haud mora praeter Dravum amnem ductis suis copiis, quae ad hanc expeditionem sat esse viderentur, iter facit; super Petoviam, quae in Dravi ripa est;

ascendit, ubi Ciliae Comitatus e conspectu fuerat: — ut in hostis conspectu fuit, proxima nocte tumescentem fluvium circa 4000 equitum natando traiecit: mox infestam Ciliae regionem incursat, — tanta regionem trepidatione complevit, ut de publica deditione cogitaret. — Vlricus saevo, repentinoque bello in suae temeritatis poenitentiam adductus, a Corvino pacem postulavit; qua data se coronae Hungariae perpetuo pariturum esse, pollicetur. Supplicem Corvinus Comitem ad regni, patrumque obsequium reductum, benigne tractavit. Quum regalia ad campum Rakos Comitia prope diem instarent, pacata provincia, relictaque ibi in magna parte copiarum, ad indictum conventum proficiscitur." — Bonfinius Dec. III. lib. VII. — Invadere agmina priusquam coniungantur. V. bellum 1442—3.

Virtus eius heroica in periculis eluxit maxime: „Deserentibus eum (in pugna campi merularum) suis familiaribus, a Turcis tribus, qui fugientes persequebantur, comprehensus est. Qui dum vestimenta, equum et res atque pecunias, apud eum repertas aequaliter inter se divisissent; tertius, duobus eius cura mandata, discedit, et alios fugientes insectatur. Quo abeunte, de cruce aurea, quam in collo gerebat cum reliquiis, tum primum, quoniam latebat sub camisia, deprehensa, inter duos exoritur contentio. Fortunam igitur tentavit extremam experiri, arreptaque framea, unum occidit, alterum vulnere prostravit, potitus eorum ac suis spoliis." Qua de re Bonfinius elegantem subiungit animadversionem: „Hac igitur crucis occasione vir sanctissimus se a rapina, morteque redemit. Quod non absque divina benignitate factum, ut qui pro crucifixi Servatoris

nomine dimicaret, crucis quoque auxilio liberaretur." Dec. III. lib. VII.

Virtuti bellicae par in religionem christianam, patriam ac regem fides ex aequo in Joanne Hunyadio fuerat: cuius quidem documenta litterae, quas dederat, manifestissima cum sint, liceat pauca pro rei momento in censum cogere: „Corvinus, qui domi otium ac foris bellum semper amaverat, quum provinciam, Turcarum metu, relinquere non posset, — suam sententiam significavit inter caetera: Potius extrema quaequae pericula subeunda, quam pati, ut regnum, quod sat amplum a maioribus acceperint, iniqua pacis conditione minuatur; nihil regno neque ad praestitutum tempus, neque perpetuo alienandum; nihil Vngaris turpius futurum, quam imperium maiorum exemplo propagandum, per negligentiam, pusillanimitatemque in dies diminuere." Bonfinius Dec. III. lib. V. „Cum temporum sub decursu Dominus Joannes de Hunyad, Vaivodatus Transilvani et Banatus Seweriensis honore clarescere, et in Comitem Temesiensem creatus, exigenteque rerum necessitate castro Nandoralbensi Capitaneus praefectus extitisset, ac partes inferiores usque flumen Titiae, totaque Slavonia ac cunctus ager inter Savae et Dravae flumina medius, dira Turcorum rabie vastaretur; civitates, oppida ac villae vehementes per flammas comburerentur; homines sine discretione sexus et aetatis aut interficerentur, aut perpetuae servitutis iugo mancipandi abducerentur, omnibus regnicolis, intrinsecis fluctuantibus odiis, ac partibus regni praescriptis manifesto discrimini relictis, solus ipse Dominus Joannes Vaivoda tantam christianae religionis persecutionem, amaro

corde tuilt. Quapropter post multos cum Turcis partiales congressus semper victor evasit." Thurocz. Cap. XXXVI.: „Quum Bascha, Amuratis Turcorum Sultani Dux, omni sibi commissa cum gente secus castrum Kisnicapol, Danubium nautarum officio traiiciens, in magno suorum agminum strepitu, eumdem transalpinum agrum pervagatus, omne quod ipsum fugae remedio declinare nequivit, aut in praedam, aut in cadaver redegit, post haec alpes transcendere, iniunctamque sibi per suum caesarem servitutem, exequi aggressus est. Dominus vero Johannes Waivoda, quam suae defensioni commissae plebis depopulationem videre, mori potius paratus, praecedentibus animatus victoriis, armorum praesidus et militari manu adunatis, invadere potius hostem, quam invadi ab illo praeoptans, viribus et numero impar, illarum partium usque ad extremum persecutus est illum. Cum autem ad locum Vaskapu dictum exstitit ventum, arduum magnumque et cunctis saeculis memorabile cum illo bellum commisit. — D. Joannes Vaivoda, mori aut vincere intentus, omnino fugae immemor. — Fervet bellum multi cadunt utrinque, sed multo plures ex Turcis. — Quapropter Bassa et Turci campum deserunt, — insequebantur eos Hungari et cunctos, ad quos pervenire poterant, moribunda in cadavera redigebant. — — Dominus Joannes fusis tot hostium millibus, multisque illorum maioribus captivatis, amplo thesauro et omni pretiosa exercitus eorum supellectili in praedam conversis, vir magnificus, digno laudum praeconio, omne per aevum recolendus, bello fortiter suscepto, prudenter administrato, felicissimeque gesto et confecto, memorabilem victoriam reportavit, seque ex hinc non solum regnicolis, ve-

rum etiam nationibus extraneis sincerae dilectionis affectu exhibuit toto se corde amandum." Idem l. c. cap. XXXVIII. „Quod autem additum est, leonem ipsum altero suorum anteriorum pede coronam auream tenere et conferre, aperte designat, quod Comes Joannes supradictus coronae nostrae iura et possessionem eorumdem suis laboribus, suisque sudoribus, ab impugnantium manibus erepta et fideliter conservata, devota promtitudine Maiestati nostrae obtulit et restituit, suaque praecipue assistentia nos ad eorum regimen introduxit." Ladislaus rex litteras anni 1453.

Celsitudo animi eiusdem aliis quoque insignibus decorata est documentis: „Eadem tempestate caesar Turcorum Amurates, Georgium Rasciae Despotum (qui Gubernatorem regni duos fere menses Sendroviae captivum tenuit) sua in vicinitate dominio potiri aegre ferens, grave in illum conceperat odium, magnam suae gentis partem ad arma commovit, et illam cuiusdam Vaivodae sui Friczbeg denominati, hominis bellicosi sub ductu, Rascianas in partes direxit, ac illi, ut castrum Krusowcz ad litus fluvii Moravae situm occupando, illi hostis fieret, strictius mandavit. Hac re audita Despotus contremuit, cogitabundusque, quid faceret, diu intra se revolvit: suas enim vires tanto posse resistere hosti, impares sciebat. Mox de iniuria Domino Gubernatori illata poenituit. — Cuius se commendaret praesidio, praeter Dominum Gubernatorem invenit neminem: facie quasi rubore perfusa, ad illius divertit auxilium. Dominus vero Gubernator, cui cum Turcis bellare magis, quam iocundas choreas audire, animo erat, mox plurimum sui exercitus militem concla-

mari iussit, coaptatisque armis, Despoti, propria in persona, ivit in succursum. Sciebant Turci, quod Despotus ad se defendendum arma parasset, ignorabant tamen, quod Dominum Gubernatorem suum conduxerant in auxilium; pacato ergo animo advenientem exspectabant hostem. Dominus autem Gubernator, ut eo celerius hostem adoriri posset, cum cunctis suorum armatorum, et Rasciaṇae gentis agminibus in transeundo totam noctem consumsit. Exacta est igitur simul nox et via, diesque solis ad ortum, et Dominus Gubernator ad hostem propinguarunt. Insurrexit inter haec nebula, quae utriusque hostis, ne se mutuo cernerent, tenebat oculos; tandem quum nebula orientis per solis radios sublevata est in altum, mox ferratae resplenduerunt acies. Agmina vero Turcorum, cum easdem sibi propinquas esse, et inter easdem vexilla D. Gubernatoris, quae dudum cognoverant, ventilari viderunt, terga verterunt, et armis minime consertis, subitae se commiserunt fugae. Persequebatur eos cunctum D. Gubernatoris levis armaturae robur. — Caedes maxima secuta. Vbi et praefatus Friczberg Waivoda, multis sibi commissae gentis cum prioribus captivitatis calamitate affecti, et Dom. Gubernatori magno cum gaudio et solennitate praesentati fuere. Quapropter ipse D. Gubernator victoria potitus, in reditu civitatem Bidinensem, totius Bulgariae locum capitalem, exuri fecit. Tandem universis captivis Despoto assignatis, felix cum triumpho venit in Hungariam.“ Thur. l. c. cap. L.

Caedis Dragulae (Wladi) Transalpinorum Vaivodae, qui eum anno 1440. captivum fecerat, abs iure insimulatur: teste enim Vitézio, epistola ad Joannem

Cardinalem data, nro 25. apud Schwandtner T. II. „Vaivoda Transilvanarum partium, hac aestate elapsa Teucrorum ensibus socia arma iunxerat. — Is iudice Deo — caedere cupiens alios, cecidit ipse.“ Vberius Laonicus: „Dracula autem haud multo post quam Choniates, expeditionem pro Dano, Daciae Principe, suscepit, una cum filio, repugnare hostibus statuebat; et praeparabantur ambo ad praelium. Et iam ille descenderat in aciem. Quumque acies utrinque instructae constitissent, et poscerent praelium, Daci relicto Mirsa filio, ad Danum ex acie transfugerant. Qui ubi vidit se relicto Dacos transire ad Danum, fugam inibat; quem fuga sibi consulentem Danus quam fortissime persecutus, comprehendensque Draculam una cum filio, utrumque trucidavit.“ Apud Stritter Tom. II. p. 918. „Georgii, Serviae Despoti, captivitatis crimen est in Joannem de Hunyad detortum: nam illum Michael Zilaghy, quem Castellanum in castro Nandoralbensi deputaverat, amputatis digitis dexterae manus, captivare fecit, et tamdiu tenuit, quousque magnam ab eo pecuniae summam extorqueret.“ Lit. regis Ladislai An. 1457. —

Ab aula regia iusta de causa sibi cavit; teste Thuroczio: „Rex Ladislaus, suae aetatis tredecimo, dominicae autem incarnationis MCDLIII. anno, Comitis Vlrici, aliorumque multorum sui principatus nobilium in conductu, venit in Hungariam. — Eisdem vero diebus D. Comes Bitricensis partes regni inferiores lustrabat; Sciebat enim plurimos dominos de Hungaria et maxime Comitem Ciliae Vlricum non recta ad ipsum esse voluntate. Metuebat igitur, ne apud regem coecas ipsi insidias tenderent, in quas si

incautus graderetur, de facili cadere posset. Salvi tandem conductus securitate — sacris quadragesimalibus diebus D. Comes Bistriciensis ac magnifici, potentesque in regno viri Thomas Zekel, Prior Auranae, Wlad Transalpinarum partium Vaivoda, Ladislaus de Kanisa et Sebastianus Rozgon, nobilesque Hungariae multi — pariter ad regem venerunt. Amabant hi magnates D. Comitem, et pro illius vita vitam suam in discrimine ponere non formidabant. Conversatus est igitur D. Comes apud regem dies per plures; tandem recedendi licentia obtenta, in Themesvár descendit" P. IV. cap. LIV. A Comite Ciliae Vlrico ad mortem petitus identidem; testatur Bonfinius: „Quum parum ista succederent, novas in Corvinum insidias lividus Comes excudit. — — Corvinus intellecta fraude in Comitem conversus: Siccine bonos viros perdere contendis? Dolo me petis; at ego te vi queo perdere, veterator scelestissime. Nimirum in foveam, quam aliis paraveras, incidisti, et ni me reverentia regis et mea probitas inhiberet, dignis te poenis afficerem, quando nemo est, qui e manibus te meis eriperet. Proinde non tibi, sed regi vitam dono tuam. Si unquam post hac meum veneris in conspectum, moriar, ni ultimo te supplicio multatum dedero scelus." „Patefactis Cilianis insidiis tollendi e medio Corvini spes omnis ademta. Ladislaus deinde mitius cum Joanne agendum esse censuit; puduit, piguitque non parum, dolo se malo fortissimum, clarissimumque regni propugnatorem Ciliano consilio petiisse." — Dec. III. libro VII.

Bene, iureque proin optimo animadvertit Cl. G. Kovachich. Suppl. Com. Tom. II. p. 29.: „Quod

Hungaria post Varnensem pugnam fatum illud non subiverit, quod mox post cladem Mohacsiensem passa est, Virtuti Joannis de Hunyad debetur. Jam enim in nihilo minus periculosis circumstantiis versabatur. Ante cladem Mohacsiensem dissidebat acriter equestris ordo a statu optimatum; ante Varnensem Status ipsi inter Wladislaum et Ladislaum Posthumum distracti fuerant. Ante illum nullum ardebat intestinum bellum, ante hanc domi omnia caedibus et rapinis miscebantur. Ante Mohacsensem habuit iam Hungaria legalem, casu interregni, provisionem, quae in stabilita hunc in casum Palatini auctoritate consistebat; ante Varnensem, ne id quidem defixum fuit, ad cuius partes adtineat consulturos, de salute regni, Status hunc in casum convocare. Post Mohacsiensem cladem scissa fuerant inter Zapolyam et Ferdinandum Statuum studia; post Varnensem coaluere quidem Status in Ladislao Posthumo, sed talibus conditionibus, quas tutor eius Fridericus Imperator implere recusabat. Denique clades Varnensis nihil minorem, atque Mohacsiensis regnicolarum partem absumsit, quod si inter hos Hunyadius numeratus fuisset, et Amurathes, dum septem adhuc Vicariorum illorum dominatus viguit, regnum invasisset, non poterat non Hungaria excidio illi, quod post Mohacsiensem passa est, iam post Varnensem cladem subiacere. — Ordinabatur quidem his, quos commentamur articulis, insurrectio generalis et levatio banderiorum, ast indeterminata effectum productura non erat. — Cura tamen hac regnicolas Hunyadii virtus in praesens exsolvit. — Cum enim Turcae post captam superiore anno Constantinopolim, iam in Serviam penetrassent, et Semendriam arcte clausissent, hic cum solo regio, paucisque vi-

cinis banderiis et proprio milite ipsos et obsidione hac depulit, et postea capto etiam eorum duce Friczbeg profligavit. — Verum post quam biennio post, anno nempe 1456. Mahometes II. ad ipsum iam Belgradum oppugnandum cum tota ferme imperii sui vi advenisset, frustra reclamabat Hunyadius decreta diaetae anni 1454. frustra insurrectionem ad praescriptam illic normam exigebat; frustra, ut regnicolae vicena ad minus militum millia conflent, exorabat; praeter proprias, quae decem millia efficiebant, copias, vix 5000 e reliquis regnicolis ad eum confluxerunt; uti prolatae a Prayo, a Katona, partim Hunyadii, partim Capistrani, partim Taglyacotii litterae testantur. Debuit itaque ille cum exigua hac 15,000 manu et incondita, adeoque exiguo usui futura cruciatorum turba, tanto duci, qualis Mahomedes II. fuit, ac veterano, copiis suis decupto maiori exercitui, se obiicere, salutemque regni tanto discrimini committere. — Sane ego, inter Varnensia et Mohacsiensia tempora nullum aliud discrimen video, quam quod exitio Varnensi Hunyadius superfuerit, a Mohacsiensi vero clade nullum talem heroem Hungaria habuerit."

Silentio praetereunda non est illius pietas, quae in articulo mortis Hunyadii eluxit maxime, quam Bonfinius ita refert (Dec. III. lib. VIII.): „Exoravit mox suos, imprimisque Capistranum, ut in proximam divae genitricis aedem, ad rem sacram faciendam se deferrent, et quum Eucharistiam accepturus esset, Dominum ad servum, quod indignum erat, venire minime paterentur, sed ipsum in aedem ad Dominum introducerent. Translatus in templum et sacris operatus, accepta Eucharistia, placatisque ex-

templo Numinibus, animum efflavit." Si talis, tantusque Joannes de Hunyad haud fuisset, filius eius Mathias, Procerum suffragio, populique totius iubilo solium regni adepturus non erat: illius meritis fuit idem creatus. —

VIII. Errorum, convitiorum et calumniarum, quae Joannem de Hunyad manserant, occasio, causae et auctores.

Reliquum est, ut errorum etiam; convitiorum atque calumniarum, quae Joannem de Hunyad post obitum quoque manserant, occasionem, causas et auctores exploremus.

Errorum quidem, originem ipsius concernentium, occasio, causa et auctores in plano sunt: Scriptores, qui eventus memorabiles posteritati fide digne tradendi provinciam subeunt, a gratiae ac favoris captandi studio immunes sunt paucissimi; gentis suae gloriam aucupantur plurimi; audita eadem, qua suismet lustrata oculis, dicacitate perhibent plerique; ignota etiam percepisse cupiunt videri. Primum Antonio Bonfinio Italo, ut Joannis de Hunyad natales ad illustrem Corvinorum gentem referret, causa; nomen Hollós, quod Corvinum sonat, Colonia Romanorum in Daciam transplantata, et quidam familiae Corvinae ibidem reperti numi, occasio fuere. Alterum in Dlugosso et Aenea Sylvio, alienigenis, qui eumdem Valachum vulgarem, regis Wladislai Poloni proditorem dicunt, merito animadver-

tendum. Ille a Callimacho castigatus; hic semet in Historiis Bohemiae ac Friderici plerumque correxit. Heltayus vero nostras, Bonfinii expilator, temporis ac loci, Diplomatum item repugnantia est commenti satis damnatus: „Omnium literatorum calculo decisum fuit: Scriptores medii aevi cum in notionibus chronologicis, tum in ipsis narrationibus exigi, corrigique posse ac debere, ad fidem diplomaticam; standumque pro Diplomatibus quam pro Scriptoribus etiam coaevis. — Cum enim haec sint litterae authoritate publica confectae, signis solenniter consignatae, — longe profecto maiorem fidem merentur, quam Historici, privatae sortis homines, qui plerumque aut nimis creduli, aut nimis indiligentes sunt, aut partium studiis abrepti, se ligni instar, nervis alienis, moveri sinunt. E contrario diplomata rerum gestarum seriem nude et aperte declarant — adeoque omni fide dignissima sunt.“ Marcq. Herrgott Geneal. Dipl. gentis Habsb. Prol. P. I. p. 3.

Convitiorum, quae passus fuerat, occasio eminens virtus, qua non patriam duntaxat, sed aetatis etiam suae saeculum illustraverat; causa infesta aemulorum domi, forisque invidia; auctor Vlricus Comes Ciliae praecipuus, fuere communi Scriptorum coaevorum testimonio: „Bonfinius inquit: „Alemanni suapte natura Vngaris infesti — authore Ciliae Comite, fabulam haud insulsam commenti sunt. — Id imprimis citerioris Vngariae Proceres dixere: Valachum regulum non esse ferendum. Fridericum quoque Imperatorem iniquissime passum, opulentissimum usque adeo regnum ab adolescente et peregrino poene rege possideri, et ne coronam redderet, ab infestis nonnullis optimatibus

quotidie admonitum." — Tum: „Erat ea tempestate in corvina manu summa reipublicae ac universa Hungariae potestas; item regales arces, praesidia, exercitusque omnis, nec plus quidem fortunae, quam tunc accesserat invidiae; quippe quod nonnullis Pannoniae Principibus invidiosum et molestum erat, et praesertim Ciliae Comiti, quod eius locum occupare avebat. — Criminibus igitur gravissimis, falso virum afficere coepit, ut regi redderet infensum: Non Ladislaum, sed Corvinum esse regem; illum honores, sacra munia, praefecturas, caeterosque magistratus pro libidine sua tribuere, illi vectigalia cuncta pendi, parere legiones et praefectos; illius arbitrio iudicia fieri, illius denique ductu et auspiciis cuncta geri; in potestate corvina munitissima oppida, arces, aerarium, arma ac demum omnia esse sita; nihil praeter nomen et coronam regis illi defore, quin etiam nemini esse dubium, in dies eum in tyrannidem adspiraturum, si christianorum ore id sperare non licet, ad Turcorum auxilia confugiturum, quibus iam bis validissimos Hungarorum exercitus plane prodidisset; eum bis violasse fidem, reginam, inducto rege Poloniae, praeter aequum et fas repulisse; Polonum, quem acciverat, in acie deseruisse; — nunc Ladislaum in Hungariam advocasse, ut vi aut insidiis petitum de medio tollat." Lib. 1. Dec. III. Eandem reddit causam etiam Thuroczius Chron. Parte IV. cap. LVIII.: „Nam ipse Comes Vlricus, dum omnium hominum esset ambitiosissimus, superbiaque humanam supra naturam tumidus; aegre ferebat, D. Comitem Joannem regni Hungariae gubernamine potiri. Hunc quidem titulum consanguinitatis iure sibi supra omnes competere iudicabat. Alia vero causa invidiae ex-

hinc orta erat, quod ipse quondam D. Comes Joannes ea tempestate, quum adhuc gubernationis fungeretur officio, a Romanorum Rege pro non restitutione coronae et pueri regis poenas exigens, in ipsius C. Vlrici, tamquam eiusdem Romanorum Regis partem tenentis, se ingesserit offensam." — Aeneas Sylvius: „Per idem tempus multa adversus Johannem Gubernatorem dicere Hungari: tyrannum et regni proditorem appellare, qui duos exercitus, maximamque regni Turcis partem prodiderit, Polonumque regem neci obiecerit, nunc regnum gravissimo iugo premat; neque ius dicat, neque ex bono populos regat, advenisse suae tyrannidis finem; liberatum ex manibus Imperatoris regem in dies affuturum, qui superbum hominem conterat." „Mos hic populi est, semper venturus amatur; odiosum est imperium vetus. Maior regni vis adversus Joannem sentire videbatur; multumque illi Comes Ciliae adversus credebatur; tamquam illo ex gubernatione regni deiecto locum eius occupaturus." Hist. Friderici p. 120. Scriptor illustris Austriae de Roo ait: „Nihil minus certe promerebatur Corvinus Joannes, quam fraude tam veteratoria et falsis calumniis peti: sed res humanae ad hunc modum sese habent, ut quemadmodum ii, quibus per solem iter est, umbram necessario proiiciunt, eamque velint, nolint, comitem habent; ita, qui ad gloriam vera nituntur via, sine invidia agitare nequeunt; urit enim splendore sui, qui praegravat artes infra se positas" l. c. p. 220. Confirmat Petrus de Rewa, de Hunyadio disserens: Post obitum Joannis Corvini Ladislaus, qui nuper audito hostium ad Belgradum adventu, Buda sub specie venationis egressus Viennam abiit, nihil praeclari gessit, domesticas solum tra-

goedias vix superare potuit; rediit Vienna in Hungariam et Albam Graecam veniens, vestigia hostis fugientis spectavit, ubi Vlrici Comitis Ciliae, antiqui hostis et aemulatoris Corvinae domus, provocantis, caesi a Ladislao Joannis Corvini filio provocato, caedem spectare invitus, adhibita moderatione animi, debuit. Verum deinde incitantibus plurisque virtutis Corvinae invidis obtrectatoribus, praecipue Ladislao Gara Palatino, obliterata, prae cupiditate vindictae, meritorum Corvini memoria, et promissis sacramento firmatis violatis, Ladislaus capite mulctatus. Scribit Commineus, ideo Corvini filios a Ladislao indigne habitos, quod pater ipsorum Johannes Hunyades, Ladislao parvulo existente, magnam usurparit potentiam, et generosos generet spiritus, unde metuendum putasset, Ladislaus, ne filii ad naturam patris accederent, ipsiusque vestigia secuti, regnum sibi eripere tentarent. Propter hoc alter quoque Mathias Pragam in custodiam missus fuit. Quae res magnam animorum a rege alienationem peperit. — Ita semper virtutis et humani favoris dividuum fuit contubernium, ut paucas familias insignes a virtute illustres antiquis et nostris temporibus videre liceat, quae brevi spatio expertae, non sint accerrimas cum vicinis inimicitias, magnam invidiam, periculosorum inimicorum malitiam: nam virtus et dignitas in homine titiones sunt, ad accendendum in plerisque invidiae ignem." De mon. et cor. Reg. Hung. cont. V. Clarissime rex Galliae: „Christianissimus Francorum Rex ex multis, potissimum Alemanniis, de serenissimo Domino rege (Mathia Corvino) obloquentibus — notabilesque infamias contra ipsum ac genitoris sui nomen, tuique diffundentibus, aures nullo modo adhibuit, meritoque debuit priuceps tantus

huiusmodi malignae invidiae fomenta non modo non credere, sed nec audire; — scitque etiam illustrem genitorem suum, ita potissimum vixisse, seque taliter gessisse, ut de illo nihil vere dici possit, nisi quod ad summam probitatem ac laudem pertinet, et ad magnanimae virtutis gloriam sempiternam. Ea vero, quae forte de ipso malignitas ausa est comminisci, et alioquin minime verosimilia, etiam ratione temporum impossibilia esse, facile coniectantur." — Lit. nro LXXXIX.

Calumniarum quibus dum vixit obrutus poene, post obitum inquinatus fuerat (v. nro LXXX.) occasio causa, auctores, iidem, qui filii Ladislai necis cruentae fuerant, de quibus Thuroczius testatur: „Comes Palatinus (Ladislaus de Gara) et Paulus Banffi, pluresque, qui potius adulationibus, quam armorum directione regi serviebant, ac omnes illi, qui in patrem ipsius C. Ladislai conceptum rancorem, illo vivere evomere nequiverant, ad exigendas a Comite Ladislao facinoris eius poenas crebris persuasionibus regem fatigabant; inquiebant enim: Tu rex es, et illum cuncta sequitur Hungaria. Hic Procerum, vulgique favore superbus, hac vice in C. Vlrico, consanguineo tuo, tuum ad latus haec fecit. Timendum est, ne praesumtuosus homo de tua persona idem faciat. Rex es, sed interim in Hungariae regno non regnabis, donec ipse supervivet. Motus est crebris persuasionibus regis Ladislai iuvenis animus, parvaque scintilla, crebris persuasionum flatibus ardere coepit." Hanc in rem animadvertit Cl. Pray Hist. regni Hung. P. II. p. 376.: „Illud improvide factum, quod in iisdem litteris auctores sibi suisque haeredibus, a rege et suis successoribus caveri flagitave-

rint; — haec satis produnt causas excogitatas potius ab his, quam veras, et regem, qui illorum arbitrio regebatur, ut sententiae subscriberet, coactum fuisse." — Sed audiamus ipsum Georgium Pray, qui has tetras litteras vulgavit: „Autographum exstat, inquit, in Tabulario Camerae inter ea, quae Dominus Archivarius Spiess Anspachino misit, ex quo id etiam in meos usus exscripsi, magnopere mihi tamen suspectum sigillum, certe ab aliis eiusdem regis valde diversum est, ipse autem Diplomatis tenor vix conciliari potest cum laudibus, quae saepe alias Joanni de Hunyad tribuit. Et cur tam sero post eius obitum haec vulgantur? Videtur mihi Diploma hoc excogitatum, ad invidiam, quae regi ob caedem Ladislai Hunyadii, non solum domi, sed foris etiam conflata est, ab eodem removendam. Constat quoque illos, qui post verba: ne igitur, recensentur, capitales hostes familiae Hunyadianae fuisse, et primos auctores regi, ut Ladislaum supplicio capitis affici iuberet. Hinc est, quod sibi, suisque posteris a rege caveri, tam anxie petierint et impetrarint, quod male conscii animi semper indicium esse solet. Hinc plerique ex his, metu poenae electioni Mathiae imprimis restiterant." G. Pray. Suppl. Com. J. Kovachich Tom. II. p. 134.

Commentum de nativitate Joannis de Hunyad inique confictum, coeca saeculi medii credulitate ingeneratum fuisse, mirandum non est; inveteratum, artis criticae defectu invaluit adeo, ut omnem mox Historicorum operam falleret; in illoque eliminando critici nostrates suppetiarum diplomaticarum penuria, incassum laboraverint. Eas praesenti disputatione suppeditare aequis arbitris satagebamus. Abeant iam,

licet, partes in suas, qui probatae diplomatum fidei, Scriptorumque synchronorum testimonio refragantes, fabulis potius et opinionibus erroribus se mancipant; nobis simplex veritas, quae nec invidiae, nec gentili insolentiae lenocinatur, fuerat consectanda.

Errata:

Pag. 264. l. 15. l. Officiliatibus.
Pag. 273. l. 1. l. maximum comparavit.
Pag. 287. l. 4. l. desertus.

Contentionis nostrae Diplomaticae

Codicis Hungariae Diplomatici

Tomi XI., Voluminis XLII., Accessionum L.,

Redimentium numero

192 ad 87 — quorum 16 exteri — diminuto

FINIS.

N 91692